

R.K.
431,
27.

II c
1424

Q. B. F. F. F. Q. S!
PHILOLOGEMA

X 1860602

De
AUGURIBUS
ROMANORUM,

PRÆSIDE
VIRO

EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO, CLARISSIMO

DN. GEORGIO CASPARE
KIRCHMAJERO,


ELOQV. IN FLORENTISSIMA WITTEB. ACAD.
P. P. CELEBRATISS.

DN. PATRONO, HOSPITE AC EVERGETA
SUMME SUSPICIENDO,

AD D. FEBR. ANNO M. DC. LXIX.
IN AUDITORIO MAJORI

VENTILABIT

SALOMON STEPNERUS,
EIBENST. MISNIC.



WITTEBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



AUGURIBUS

ROMANORUM

DI GEORGIO CASPARE

KIRCHMÄTTERO

DOCTORIS HONORIS CAUSA

DE PATRONO HOSPITIS AC ERIGENTIS

SHAME SUSPICIBUS

AD D. FEB. ANNO M. C. LIX.

IN AUSTRIA VIENNA

SALOMON STEINBERG

LIBRARIUS

IN AUSTRIA VIENNA

WITTELSPERGER

Typo MATTHEI HENCKELS Auct. Typogr.

THEATRI

CAPELLAE



tum
im
loq
rint
dine
Vrb
qvo
tum
de, p
moc
bant
sâ A
qve
autu





BONA SCÆVA!



Vum præclara multa à primis ROMÆ Conditoribus, prisicisq; habitatoribus inventa atqve constituta sint, dicente pro domo sua *M. Cicerone* §. I. tum nihil præclarius existimo, quàm quòd circa immortalium Deorum (ex ipsorummet mente loqvor) cultum laboriosos adeò sese exhibuerint, ut præter fictitiorum Numinum multitudinem, magnumq; ædium sacrarum in omni Urbis angulo extructarum numerum; varios quoque hominum sacrificulorum ac sacerdotum excogitaverint ordines; quos suis, hinc inde, per totam urbem, distinctos muniis, summo omnes proseqvebantur honore, ac reverebantur maximè: inter primos verò eâ de causâ Augurum numerabant collegium, quòd absque eorum consensu fausti quid geri non posse autumabant, uti inferiùs patebit dilucidius.



4096.

De iis itaque acturi in præsens, formulam quoque ex eorum disciplina natam fronti hujus præloqvii præmisimus: verbis eqvidem Romanis (ita namque invenies apud *M. Plaut.* in *Pseud.* prol. vers. 2. & *Act.* V, sc. 7, vers. 39. *Stich.* act. V, sc. 2. vers. 24. adi, si placet, *J. Gulielm. Verisimil.* lib. I, 4. pag. 260. Tom. IV. *Thesaur. Crit. Gruteri:*) sensu tamen verè pio ac Christiano prosperitatem hujus conatûs apprecati lumus. Quippe quùm nihil illi absque præfatione deorum inceperint magni; (unde nata illa seu dicendorum, seu agendorum exordia: QVOD. BONUM. FAUSTUM. FELIX. FORTUNATUM. QVE. SIT. QVOD. SINE. FRAUDE. MEA. POPULIQVE. ROMANI. QVIRITIUM. FIAT. AUDI. JUPITER. FAVETE. LINGVIS. Quorum innumera apud Scriptores habentur. v. *T. Liv.* lib. I, cap. 32. & 36. & lib. XXXIIX, c. 48. *P. Terent.* *Andr.* prol. vers. 24. *Q. Horat.* od. lib. III, 1, 1. & 14, 11. *P. Virgil.* *Ecl.* VI, 13. & *Æn.* V, vers. 71. *Jac. Pont.* annot. ad progymn. 43. lib. III. pag. 311. m. f. *Des. Erasmi.* *Chili.* fol. 548. 554. 555.) quidni & idem in quovis negotio observaremus meliora edocti Christiani?

TRI.

TRINVM igitur sollicitamus NVMEN,
Ipsam coeptis adesse ut velit nostris, suaque be-
nigna gratia laborem fortunare praesentem!
Sit itaque

CAPUT I.

De

NOMINE AUGURUM.

§. I.

ETymologiam si spectemus Auguris vel Au-
gurii, (utriusque enim eandem putamus) quadru-
plex à Grammaticis suppeditatur ratio (1) Nonnulli enim ab
avium gestu, quasi *avigerem* deducunt; quòd omnis volantium
gestus observandus fuerit Cui favere derivationi statuisse non-
nullos memini, quod *Priscianus* Cæsariensis Grammaticus as-
ferat, *auger* nonnunquam dici solitum. (2.) *ab avium garritu*,
ut & (3.) *gustu* aliis derivandum videtur. (4.) *ab augendo* origi-
nem petivere quidam. Recensentur hæ sententiæ à *Pompejo*
Festo, *Isidoro* Hispalensi Orig. lib.IIX, cap. 9. *Polydoro* *Virgilio*
de Invent. Rer. lib.I, cap.24. pag. m. 84. pr. *Natal. Comite* My-
tholog. lib.I, cap.16. pag.61. *J. Rosino* Antiqv. Rom. lib.III. c. 8.
pag.274. *Wolf. Laz.* in Commentar. Reip. Rom. lib.III, cap. 12.
pag. 338. f. *J. Fungero* Etymolog. Trilingv. fol. 100. *J. Pontan.*
annotat. ad progymn. lib.IV, pag.885. *C. Becmann.* Orig. L. L.
Gerardo Joan. Vossio in Etymolog. L. L. fol. 55. B.

§. II. Concludit hoc in autorum dissensu laudatus mo-
dò *Vossius*, existimare se, ab augendo augurem deduci: & quum
augurii tertiæ à fine syllabæ correptio garritum, ut à quo de-
duci queat, non admittere videatur, gestum arridere sibi ma-
gis dicit. Nobis quid de eâ re videatur, dicemus infra, differen-
tiamq; prius, quam inter augurium & auspiciam faciunt non-
nulli, exponemus.

§. III. Quod ergò illam, quam assignant, concernit
distinctionem, (a.) quibusdam à cantu garrituque dicitur

A 3

avi-

n
s
-
n
.
-
t.
t-
i-
a-
ta
a:
X.
I-
E.
I-
S.
ur.
48.
ib.
V,
III.
55.)
nus
RI.

avium : hoc autem à volatu. vid. *J. Pontan. symb. ad P. Virg. Æn. V. vers. 7. col. 1244. c. & ad lib. IX, v. 328. col. 1874. D. Isidor. Hispal. l. c. fol. 43. edit. Basil. anno 1489. Laur. Vall. Eleg. L. L. lib. VI, cap. 1. Auson. Popm. de different. Rer. & Verb. lib. I. voce AUGUR. W. Laz. in Commentar. R. R. lib. III, cap. 12.*

(β.) *Servio Mauro* Augurium est certarum rerum ex avibus inquisitio : Auspicium, quod à quibusvis rebus desumi potest. ad *P. Virgil. Æn. II., vers. 703. pag. m. 264. a. & ad lib. III, vers. 20. pag. 271. a.*

(γ.) Contrarium *Marcellus Nonius* defendit, cui Auspicium est inspectio avium, sive ora, sive gestus observes : Augurium contra quod rerum omnium conjecturas diligenter & prudenter complectitur. lege *J. Pontani symbol. ad Virg. Æn. V. l. c.*

(δ.) Auspicia nonnulli volunt in agris extra Urbem : Auguria in urbe capta nominari, de quo *J. Gutherius de Jure Pontif. lib. III, cap. 3.* Facit huc, quod *Isidorus Hispalensis* auspicia iter facientibus propria pronunciat *l. II, cap. 9.*

§. IV. Veruntamen sit licet ratione primi ortus differentia, usus tamen nos docet, sapissimè inter se confundi, uti ex *Scaligero* notavit *Job. Lud. de la Cerda ad P. Virg. Æn. I, v. 391. fol. 78. a. 1. ad lib. II, vers. 699. fol. 258. b. 2. ad V, 523. fol. 567. ubi scilicet expressè auspicio augurium conjungitur vers. 534. Et sunt plurima præterea loca, in quibus pro quovis omine accipitur augurium. scil. Æn. lib. II. v. 703. III, 5. & 89. V, 7. VII, 259. X, 254. & c. vide *J. H. Bæcler. Dissertat. Academ. IV, cap. 1. p. 179. f. 180. pr. Augustin. Niph. de Augur. lib. I. ubi & legere est, quæ ab auspicio, aruspicio, præfagio, ostento, portento, prodigio augurium differat. cap. 1. pag. 4. pr. add. Isidor. Hispal. l. c.**

§. V. Stantibus tamen istis distinctionibus, juxta primam à garritu deducendum esset augurium : secunda utrilibet faveret originationi : tertia verò, uti & quarta opinio nullum adeò meretur calculum.

§. VI. Hisce præmissis, quid de quatuor derivandi viis nobis videatur, veniam bonorum omnium nobis polliciti proponamus. Quæ à garritu, ut & gustu desumitur, nimis, uti facile apparet, est restricta, cum ab utrisque volatus, observatu per-

perquam necessarius, excludatur: ut itaque necesse non habeamus ad correptionem antepenultimæ confugere syllabæ, ac ob eam solam, nullius alius causæ mentionem injicientes, garrutum inde exterminare. Ea verò, quæ gestum selegit, & volatum, & gustum complectitur, & eâ de causâ, si garrutum includeret, optimum auguriorum diceretur etymon. Rationes autem, ob quas ab augendo laudatus deducat *Vossius*, nullæ sunt. Verba ejus, nî fallor, sunt: *In hocce auctorum dissensu de utraque voce (augurio & augusto) sententiam nostram proponamus. quod igitur ad augurii vocem attinet, non magis augur, quam auspex fieri ab augendo puto. Potius autem augurium q̄s. avigerium quam avigarrium dici censeo, quia alioqui produceretur antepenultima.* Etymol. L. L. l. c. Subscribat in hisce ei quicumq; velit: ipse sibi quasi repugnans (si tamen ipsemet Etymologici istius autor est) *G. J. Vossius* in Theologia Gentili ab avium garritu dictam existimat auguriorum disciplinam. lib. III. cap. 98. pag. 1260. f.

CAPUT II.

De

AUGURUM INVENTIONE, ET AD ROMANOS TRADUCTIONE.

§. I.

NOmen justo ordine sequitur Inventio: quæ, quùm Romanorum non sit, paulò altiùs inquiramus, operæ pretium erit. In hoc ergo amicè quasi conspirantes reperias harum rerum Scriptores floruisse eam ex avibus aliquid futuri præno-scendi peritiam jamdudum apud *Cilices, Pisidas, Pamphilios, Phryoes, Persas*, à quibus ad *Lycios, Arabes, Græcos, Umbros, Thuscios s. Hetruscos & Elios*, tandemq; ad ipsos Romanos perducta fuerit. Primum hujus rei testimonium subministrat *M. Tullius* in de divinat. primo: *Cilicum & Pisidarum, inquit, gens, & his finitima Pamphilia, quibus nationibus præsumimus ipsi, volatibus avium garrituq; ut certissimis signis declarari res futuras putant.* §. 2. pag. 350. B. Tom. IV. Adde, si lubet ejusdem libri §. 25. 91. 92. 93. 94. *Herod. Halicarnass.* lib. III, fol. m. 101. *Cl. Ælian.* de Var. Hist. lib. II, cap.

cap. 31. *M. Cicer.* de legibus lib. II. §. 33. de divinat. lib. II. §. 28.
Alexand. ab Alexand. Genial. Dier. libr. V, cap. 13. circa med.
Onuphr. Panvin. descript. Romæ lib. II. fol. 160. *Polydor Virgil.*
de Inventor Rer. lib. I. cap. 24. pag. 84. pr. *Lamb. Hortens.* ad *M.*
Lucan. Phars. lib. I. vers. 583. fol. 125. 126. & ad vers. 600. fol. 132. 133.
ad lib. VI, vers. 429. fol. 717. & ad *P. Virgil.* Æn. lib. I. vers. 377. ex
citatione *C. Schrevelii.* *Leonh. Coqva.* ad *S. Aurel. Augustin.* de Ci-
vitat. DEI lib. II, cap. 25. lit. Z. pag. m. 255. edit. Francof. 1660.
Theodoretum libr. I. contra Gentes ap. eundem. *J. Masen.* Spec.
Imag. Verit. Occultæ lib. I, cap. 9. pag. 37. pr. *Censorin.* de die na-
tali cap. IV. pag. 28. & ad eum *Fr. Lindenbruch* pag. 35. *Lil. Gregor.*
Gyrald. syntagm. de diis gentium XVII. fol. 661. *Commentat. ad*
Nazianzen. pag. 201. a. b. 247. b. *J. Lud. Vivem* ad *S. A. Augustin.*
de Civit. DEI lib. VI. cap. 3. pag. 581. lit. c. *Augustin. Niph.* de Au-
gur. lib. I. præf. & cap. 10. pag. 23. *Andr. Domin. Floccum Pseudo-*
Fenestell. lib. I. de Potestat. Roman. cap. 4. pag. 151. seqq. *Pompon.*
Letum de Magistrat. Rom. libr. II, cap. 5. pag. 271. f. (junctim
hos duos edidit cum *Raphaël. Volaterrani* libellis de Sacerdot.
& Magistrat. Rom. notasq; addidit *Petrus Scriverius* in Republ.
Rom. anno 1626. ante aliquot verò annos recudi fecit *Philipp.*
Carolus in Antiquitatibus Romanis, Francofurti procuratis.)
Gerard. J. Vossum in Theol. Gentil. lib. III. cap. 98. pag. 1261. pr.
Excell. DN. Præsides in Commentar. ad *C. C. Taciti* de German.
cap. X. qui ad *Noachi* historiam refert originem paganæ istius
superstitionis, cui *columba* ac *corvus* ex arcâ emissi ad cogno-
scendum aquarum diluvii defluxum ansam dederint.

§. II. De primo autem inventore variæ circumferun-
tur sententiæ. Fabulosa ætas *Parnassum*, *Neptuni* ex *Cleodorâ*
Nymphâ filium, à quo *Musis* sacratum mons nomen acceperit,
inventorem credidit, teste *Pausaniâ* in Phocic. fol. 321. *Prome-*
theo alii hujus ex avium volatu prælagii inventionem tribuunt,
uti in hymno *Æschylis* de se ipso loquens introducitur:

Τρόπος δὲ πολλὰς μαντικῆς ἐποίησα,
Γαμψωνύχων τε πῆσιν οἰωνῶν σκεθρῶς
Διώρισ', οἰήνας τε δεξιῶν φύσιν. &c.

i. e.

i. c.

*Modosq; multos vaticinandi repperi,
Tum diligenter qui volatus dexteri
Sint, quæ sinistra nominentur alites.*

citante hunc locum *Natali Comite Mytholog. lib. IV. cap. 6. pa-
gin. 315. 316.*

Alii *Care* vel *Cari*, Regi *Cariæ* adscribunt, ut *C. Plinius Hist.
Natural. lib. IIX, cap. 56. Alexand. ab Alexand. Genial. Dier. lib. V,
cap. 13.*

Tagen an cum *Augustino Nipho* tutò apprehendere liceat,
dubitamus, quum unanimi scriptorum plurimorum consensu
aruspiciæ, non verò augurii ac auspicii autor prædicetur ap.
*Th. Dempster. à Muresk paralipom. ad J. Rosin. Antiqv. Roman.
lib. III, cap. 8. pag. 276. a. b.*

§. III. Verùm floruisse hos, quos dixi, omnes auguran-
di peritiã, nemo unquam ibit inficias: hoc tantum proban-
dum, an primi fuerint inventores? nam Poëtarũ fictiones nihil
in præsens moramur: reliquis autẽ antiquior longè nonnullis
videtur illa ratio divinandi, quum in sacris Literis à *Mose* e-
jus fiat mentio, ubi consignatum habemus DEI mandatum

augur in te inveniat non
: מנחש בך ימצא לך Deuteron. cap. XIIX, vers. 10.
quod annumeratur cæteris evitandis ethnicorum superstitioni-
bus.

§. IV. Quisquis interim extiterit superstitionis istius
auctor; nos misis omnibus, apud quos floruit, populis, *Etruscos*
sumamus, sive *Thuscos*, quò nomine à Græcis ob frequentiora
sacrificia insignitos docet *M. An. Lucani Commentator, Lam-
bertus Hortensius* ad *Pharsal. lib. I, vers. 583. fol. 125. B.* Confer *M.
Cicer. de divinat. lib. I. §. 93.* Hos ergo exercitatisimos cujus-
cunq; augurii aut portenti interpretes fuisse scimus ex *C. Bar-
thio* ad *Cl. Claudian. in Eutrop. lib. I, vers. 12. L. Hortens.* loco jam
citato. ita ut autores sese ac inventores jaçtaverint hujus pe-
ritiæ, à quibus concessum Romanis nobile ejusmodi munus,
uti *Th. Dempsterus* refert ad *J. Rosin. Antiqv. Roman. libr. III,
cap. 8.*

B

cap. 8.

i. c.

cap. 8. pag. 276. a. f. A quibus quum dubio procul Romulus eandem acceperit, ut condendæ Urbis augurium in Palatino monte, adversus Remum fratrem in Aventino constitutum ex duodenario vulturum numero ipse observârit, primos etiam per singulas recens conditæ Romæ regiones tres augures instituisse creditur vulgò. vide in hanc rem omnem T. Liv. lib. IV, c. 7. M. Cicer. de divinât. lib. I. §. 3. Plutarch. in Romulo fol. 31. c. 7. Rosin. Antiqu. Rom. lib. I, cap. 4.

§. IV. Obstare hisce nihilominus videtur Cn. Cameleji pro suis legibus ap. T. Livium oratio: Pontifices inquit is, Angures Romulo regnante nulli erant: ab Numa Pompilio sunt creati. l. IV, cap. 4. Ut de Pontificibus nihil afferamus, dicimus, nobis jam non esse sermonem de augurali sacerdotio; sed de auguribus, qui extra quoddam viverent collegium sacrum publicumque quippe ex T. Livii verbis facile hoc patescit: nam accitus Numa Pompilius ut in Regem eligeretur, sicut Romulus auguratò regnum adeptus erat, de se quoque DEOS consuli iussit: inde ab augure, (cui deinde honoris gratiâ publicum id perpetuumque sacerdotium fuit:) deductus in arcem, in lapide ad meridiem versus consedit &c. lib. I. Ab V. C. cap. 18. Facit huc, quod Tb. Dempsterus ad J. Rosin. Ant. Rom. lib. III, cap. 8. refert, vocatos alios majores, minores alios: alios publicos populi Romani Quiritium augures, privatos alios sive Imperatorios, quos domesticos habuissent Augusti, ut pro salute suâ excubarent, captantes subinde auguria: confirmatque ex duplici marmore. pag. 277. a. pr. m. Confer in hanc rem Lud. Carrionem Antiquar. Lect. lib. I, cap. 14. in Thesaur. Critic. J. Gruteri Tom. III. Barn. Briffon. de solenn. Pop. Roma. formulis l. b. I, pag. 124. pr. Job. Schild. ad C. Svet. Tranquilli Caligul. cap. XII. pag. 397. b. m. f. ex B. Briss. adde inferiùs cap. VI. §. 8. β.

CAPUT III.

De

NUMERO AUGURUM.

§. I.

FUERE primitùs in tres sive ordines, s. regiones, s. partes, s. tribus, s. centurias, ab Romulo divisâ Roma constituti augures (de

(de quo adeantur *T. Liv. Patav. l. I. ab V. C. c. 13. Plutarchus in vita Romuli. J. Passerat. ad S. Aur. Propertii Eleg. l. IV, I, 31. Onuphr. Panvin. Rom. lib. II. Servius Honestus ad P. Virgil. Æn. V, vers. 560. fol. m. 210. i. pr. J. Pontan. symbol. ad P. Virgil. col. 1317. J. Lud. de la Cerda fol. 572. c. 1. Fr. Taubm. pag. 660. a. i. pr. Carol. Sigon. ad T. Liv. lib. X. fol. 126. 2. pr.) & singulis regionibus suis præerat. *Alexand. ab A' exand. Genial. Dier. l. br. V, cap. 19. Onuphrius Panvin. l. c. fol. 160. Ald. Manut. de quaesit. per epist. l. I. I, quæst. 9. Tom. IV. Thes. Crit. Gruteri pag. 203. Andr. Domin. Floccus de Potestat. Rom. lib. I, cap. 4. pag. 155. f. Pompon. Lat. de Sacerdot. Rom. lib. II, cap. 5. pag. 272. m.**

§. II. Quartum, accedente quartâ Urbi regione, cum Onuphrio adjectum ait, *Servio Tullo regnante, J. Rosinus. Adi Dionys. Gothofredi Histor. Antiq. de Româ lib. II. pag. 137. & seqq. Qvî verò ad eum pervenerint numerum, invenire haud potuimus. T. Livius expressè contradicit; quum imparè esse deceat numerum augurum, lib. X. cap. 6. Ast cum ipse causam ejus rei ignorare se fateatur liberè, nos etiam in inqvirendâ aut diducendâ operosi esse nolumus. Confer J. Ludov. Vivem ad S. Aur. Augustini lib. VI. de Civitate Dei cap. 3. lit. c. pag. m. 581. pr.*

§. III. Placuit dein rogatione Ogulniâ, quinque adhuc de plebe addi, (cui à principio non patebat ad hoc sacerdotium aditus, solis concessum patriciis, de quo *T. Liv. lib. VI, cap. 41. ibiq; Carol. Sigonius fol. 97. i. n. Wilb. Godelevaus fol. 285. 2. f. & 304. i. m. 2. pr.*) ut ad novenarium excreverit eorum numerus. *Tit. Liv. lib. X, cap. 6. Andr. Domin. Flocc. lib. I. de Potestat. Rom. cap. 4. pag. 155. f. 156. pr. Pompon. Latum lib. II, cap. 5. de Sacerdot. Romanor. pag. 272. m. Quod Alexander ab Alex. refert, cautum Scto, ultra novenarium ne asurgeret collegii numerus, meritò, quum nulla ejus apud Scriptores fide dignos mentio occurrat, rejicitur ab Eruditis.*

§. IV. Mansit hic dein ad *L. Sullæ Dictatoris Perpetui usq; tempora numerus, qui augurnm juxta ac Pontificum ampliavit collegia, ac ut quindecim essent, constituit, quemadmodum habet Florus lib. LXXXIX. Jac. Pont. lib. IV, cap. 14. pa-*

an-
on-
uo-
per
uis-
c. 7.
Ro-
clejz
ngu-
IV,
jam
ous,
qve
Nu-
num
(cui
it:)
ib. I.
Ant.
lios:
five
lute
q; ex
Lud.
Gru-
b. I,
XII.
f. tri-
gures
(de

gin. 873. a. f. Retentus dein creditur, quādiu augurum Romæ duraverit collegium, de quo inferius agemus.

§. V. Non enim cum *Genialium Dierum Scriptore* imponi nobis patimur, ad XXIV. auctum amborum numerum: inducto fortè *Liviana* Epitomes corrupto exemplari. v. *Rosin.*

CAPUT IV.

De

JURE AC RATIONE CREANDI AUGURES.

§. I.

Varia circa hoc caput sese exhibet omninò Romanorum variis temporibus constitutio. Fuit confirmato sacerdotio in more positum, ut defuncto uno, qui toti placeret collegio, in ejus locum surrogaretur: quod cum *Feticibus, Pontificibus, Septemviris Epulorum, & Quindecimviris sacrorum faciendorum* commune hoc habebat sacerdotium. vid. *J. Langlei O-tium Semeste.*

§. II. Non tulit id *Cnejus Domitius*, Tribunus plebis, non ex infimâ plebe unus, iratus ob repulsam Auguratus, quam à collegio passus erat, de quo lege *Dionys. Gothofr. ad M. Cicer. orat. pro Leg. Agrar. contra Rull. §. 18.* Legem, quam tulit, his verbis recitatur à *Tullio*: *Atq; hoc idem de ceteris sacerdotiis Cn. Domitius, Tribunus plebis, vir clarissimus tulit, quod populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur: ab ea parte qui esset factus, is à collegio cooptaretur.* adde *P. Vellej. Patercul. lib. II, cap. 12. & ibi Anton. Thyfium.*

§. III. Hanc *L. Sulla Felix*, rerum potitus statim antiquavit legem, atq; uti numerum, ita cooptandorum jus augurum pro lubitu correxit, ac collegiorum suffragiis novos creari voluit, teste *Asconio Padiano* in *divinationis Commentario.*

§. IV. Verùm uti *Domitiam Sulla* antiquavit legem, ita *Sullanam T. Labienus*, *Domitiam* reducens, idq; ut ajunt, svasu

C. Ce-

C. *Cæsaris*, qui aditum eò sibi præmunire ad auguratum capes-
sendum conatus fuerit.

§. V. Rursum post cædem C. *Cæsaris* ad collegia coo-
ptandorum jus sacerdotum retulit *M. Antonius Consul*, simili fe-
rè cum *C. Cæsare* consilio, quò scil. ad Pontificatum (eius nam-
que & auguratus eadem in hoc negotio erat ratio:) gener *M.*
Æmilius Lepidus in *Cæsaris* locum faciliùs eveheretur.

§. VI. Anno insequenti, ubi omnes *M. Antonii* leges ex
Scto abrogabantur, uti ex *Cicerone* & *Dione* colligere licet, hæc
quoque de sacerdotiis quam tulerat, intercidit, revocatâ. quæ jus
id plebi deferebat, *Domitiâ*.

§. VII. Tertiò tandem & ultimâ vice abrogatâ hâc le-
ge *Domitiâ* collegiorum primò, *Rominanorum* dein *Impe-*
ratorum arbitrio, quandiu sacerdotium id florebat in Urbe,
novi augures cooptari cœpisse leguntur. Ita præter *J. Rosin.*
quem sequimur, *Onuphr. Panvin. lib. II. fol. 161. 162. Carol. Sigonius*
de Antiquo Jure Italiæ lib. I, 19. Valent. Förster. de Jure Roman.
Civ. lib. I, 26. num. 45. 61. 83. 84.

§. IIX. Solemne creationis erat, aves consulere, & num-
fausta vel infausta portenderent, accuratè observare: sinistro
verò oblato auspicio statim in augurum adscribere numerum,
qui destinatus ei erat functioni. Lege *Alex. ab Alex. Genial. Dier.*
lib. V, cap. 19.

§. IX. Sequēbatur hoc, *aditialis cæna*, ab *aditu* sortita
nomen: sive *adjicialis*, ut nonnulli malunt, ab *adjiciendo* dicta:
(dubio procul ad morem *pontificalium* dapilis, & ad *Saltarem*
modum opipara, quæ *Pandæsia* aliàs vocatur; teste *Cal. Rhodig.*
Antiq. Lætion. lib. IX, cap. 12. in princip. Confer. Q. Horat. Od.
I, 37. vers. 2. 3. II, od. 14. 28. v. Desid. Erasmi. Chiliad. fol. 457. 458. 673.
pr. a. J. Pontan. ad progymn. lib. IV, 14. pag. 887. & ad IV, 41. pa-
gin. 1060. pr. Cic. ad Attic. lib. V, 9.) à recens creato augure præ-
beri solita. v. Wolffg. Laz. in Comm. Reip. Rom. lib. III, c. 12. fol.
340. m. August. Buchner. voce Jacio. M. Cic. Epist. fam. lib. VII, 26,
ibiq; Dionys. Gothofred. C. Plin. Histor. Nat. lib. X, cap. 20. & in eum
J. Dalechamp. lit. c. pag. 457. f. 458. Maximè illustris locus est
Aurelii Macrobii Ambrosii Theodosii Saturnal. libr. III, cap. 13.

VII



pag. 227. m. f. de *Lentulo* inaugurato cœnam illam de more co-
 quente & ex eo *Gv. Panciroll. Rer. Deperdit. lib. I. tit. 51. pag. 241.*
 Adde *H. Salmuth. ad ejusd. l. II. tit. 2. p. 107. a. Jac. Pont. ad prog.*
41. lib. IV. pag. 887. m. J. Tb. Freig. ad J. Lud. Vivem pag. 202. D.
Erasmi Chili. fol. 446. b. pr.

CAPUT V.

De

ORDINE AC DIGNITATE AUGURUM.

§. I.

COLlegium Romæ habuisse augures, ex omnibus patescit.
 Conferantur modò *C. Plinius Histor. Nat. libr. IIX cap. 26.*
M. Plaut. Menæchm. act. I, sc. 2, vers. 54. Wolffg. Lazius in Com-
ment. Reip. Rom. l. III, cap. 20. fol. 340. m. f. Augustinus Niphus
de Augur. lib. I, cap. 15. pag. 34. num. 2. Andr. Domin. Floccus de
Potestat. Roman. lib. I, cap. 4. pag. 155. m. Ordo autem & di-
 gnitas, reverentia item inter eos & publica quæ fuerit, videa-
 mus: nam magnam admodum fuisse, nemo ignorabit ferè.

§. II. Ætate cæteros qui anteibat omnes, præerat reli-
 quis, & *Magister* vocabatur *Collegii*: prælatus omnibus aliis, li-
 cet alibi in summo honorum constitutis loco. In augurum
 quippe (inquit *Alex. ab Alex.*) collegio illud præcipuè serva-
 tur, ut sicut quisque ætate præcedit, ita maximè principatum
 teneat: quippe inter augures majores natu etiam his, qui cum
 imperio sunt, præferri solent. *Genial. Dier. libr. V, cap. 19. pa-*
gin. 292.

§. III. Jam verò dignitas eorum facile maxima erat.
 Exceptis namq; Pontificibus, primum inter sacerdotes reli-
 quos sat multos obtinebant locum, uti testatur *J. Gutherius de*
Jure Pontific. lib. I, 3.

§. IV. Alii sacerdotes simul ac malefacti cujusdam con-
 vincebantur, suo deturbabantur loco: hi verò vel manifestis-
 simis in facinoribus deprehensi sacerdotium deponere nullo
 poterant modo. vid. *Alex. ab Alexand. l. c. Jac. Pontan. progymn.*
 l. IV,

I. IV, 14. Jul. Langlei Otium semestri l. XIII, c. 1. p. 730. Hujus rei
 causæ ex Plutarchi Cheronei Qv. Rom. s. Probl. IC. sic expediuntur:
 Διὰ τί τῶν ἄλλων ἱερέων τὸν καταδικασθέντα καὶ φυγοντα παύον-
 τες, ἔπερον αἰρῶνται, ἔδ' αὐγέρῃ, ἕως ζῆ, καὶ Ἰπὶ πῶς μεγίσταις
 ἀδικήμασι καταγνώσιν, ὅκ ἀφαιρῶνται τὴν ἱερωσίαν; (αὐγέρ-
 ρας δὲ τὰς Ἰπὶ τῶν οἰωνῶν καλῶσι) πότερον, ὡς ἔνιοι λέγασσι, βέ-
 λοντα μηδένα τὰ τῶν ἱερῶν ἀπόρρητα γνώσκειν, ὅς ὅκ ἔστιν ἱερεὺς;
 ἢ κατελημμένον ὄρκοις τὸν αὐγέρῃ μηδεὶ φεράσειν τὰ τῶν ἱερῶν,
 ἀπολύσαι τῶν ὄρκων ἔθελον ἰδιώτῃ γενόμενον; ἢ τιμῆς ὅκ ἔστιν,
 ἔδ' ἄρχῆς, ἀλλὰ Ἰπὶσημης ὄνομα καὶ τέχνης, ὁ αὐγέρῃ ὁμοιον ἔσ-
 τῶ τὸν μουσικὸν ἀποψηφίσασθαι μουσικὸν μὴ εἶναι καὶ τὸν ἱατρὸν,
 ἱατρὸν, τὸ καλύειν μάντιν, ἀφελῶσαι μὴ δυναμένοις τὴν δυνα-
 μίαν αὐτῶ, καὶ ἀφελῶνται τὴν περὶ σηγορίαν. ἄλλον δὲ ἔκαθιστά-
 σιν, εἰκάτως τὸν ἐξ ἄρχῆς ἀριθμὸν τῶν αὐγέρων φυλάττοντες.
 i. e. ex Interpretat. Guliel. Xylandri: Quid causa est, quod
 cum alios sacerdotes in locum damnatorum atq; sol'um vertere
 jussorum, sacerdotioq; privatorum sacerdotum sufficiant: soli
 auguri, etiamsi summorum flagitiorum compertus habeatur,
 non abrogant sacerdotium, quandoq; vivit? An quod sacro-
 rum arcana à quoquam, qui sacerdos non sit, cognosci nolunt?
 Aut quia jurejurandi, quo sanxit, se nemini disciplinam istam
 traditurum, eum abrogat à dignitate factum privatum solve-
 re nolunt religione? Aut non magistratus vel dignitatis; sed
 scientie artisq; nomen est augur? ut qui vatem, ne vates sit,
 prohibere conetur, perinde agat, ac si musico ne musicus, aut me-
 dico, ne medicus sit, velit edicere: quum ut maximè titulum de-
 roget, scientiam tamen adimere non possit. Alium porrò non
 creant, quod numerum augurum ab initio constitutum retinere
 volunt. fol. 284. D. E. Tom. II.

§. V. Ad reverentiam refer quoque, quod ulcere affe-
 ctus ab augurio captando abactus fuerit, ne res scilicet, ut
 ipsis quidem videbatur, adeò veneranda turpi aliquo mor-
 bo fœdaretur, ut idem Plutarchus habet Problem. LXXIII.

Διὰ

Διὰ τί δὲ ἀπέριητο τῆς ἕλκῃς ἔχουσιν ἱερεῦσιν ἐπ' οἰωνῶν καθίζε-
 εσθαι; πότερον καὶ τὸ σύμβολόν ἐστι ἔ μὴδὲν δακνομένους, μὴδὲ οἶον
 ἕλκῃς ἴδιον καὶ πάθῃς ἔχοντας ἐν τῇ ψυχῇ, πὰ θεῖα χρηματί-
 ζειν, ἀλλὰ ἀλύπους καὶ ἀκεραίους καὶ ἀπεισάτους ὄντας; ἢ κα-
 πὰ λόγον ἐστίν, εἰ μὴτε ἱερείῳ χεῖταιτο ἂν τις ἕλκῃς ἔχοντι πρὸς
 θυσίαν, μὴτε ὄρνισι πρὸς οἰωνισμόν, εἴ μᾶλλον ἐφ' ἑαυτῶν φυ-
 λάττεσθαι τὰ πρᾶτα, καὶ καθαρὰς γενομένους καὶ ἀσινεῖς καὶ ὀλο-
 κλήρους, ἵπτι πὰ παρὰ τῶν θεῶν σημαίνοντο βαδίσειν; τὸ
 γὰρ ἕλκῃς εἶκει πᾶρωσίς τις εἶναι καὶ μίασμὸς τῆς σώματῃς.
 qvæ ita vertit Xylander: *Cur interdictum erat auguri, si ulcus
 haberet, aves observare? An id quoque argumento est, animo
 ab omnibus molestiis ac quasi ulceribus ac morsibus vacuo since-
 roque, & ocioso deberi sacras res tractari? An rationi consenta-
 neum est, cum neque victimam aut avem ulcerosam usurparet
 quispiam rei sacræ faciundæ gratiâ, capiendive augurii: mul-
 tō magis ipsos augures curare, ut puri sincerique & integri
 ad divina indicia observanda se conferent? Ulcus enim vi-
 detur quædam esse mutilatio & pollutio corporis.* fol. 281. B. C.
 Tom. II. Adde *Alex. ab Alex. Genial. Dier. lib. V. cap. 19. Jacob.
 Pontan. progymnas. lib. IV, 14. pag. 873. b. pr. Augustin. Niph. de
 Augur. lib. I, cap. 15. num. 3. pag. 34.*

§. VI. Nec parum juvebat auctoritatem, quòd qui ad
 Reipublicæ sedebant clavos, auguratum simul gerebunt. *T. Grac-
 chus* consul erat & augur. *M. Cic. de Natur. Deor. lib. III. §. 10.
 ii. de Divinat. lib. I, §. 36. Amphiloehus & Marsus Reges & au-
 gures ap. eundem de divinat. lib. I, §. 88. 95.* Ipse, ne in enume-
 randis omnibus auguribus in consulatu multus sim, *Tullius* Con-
 sulatum cum auguratu conjunctum gerebat, & alioqui peritus
 admodum artis illius introducit. vide lib. I. de leg. §. 30. (ver-
 ba paulò inferiùs adducemus) *Wolfg. Laz. de Constitut. Reip.
 Roman. lib. III, cap. 12. fol. 339. S. Aurel. Augustin. de Civit. DEI
 lib. IV, cap. 30. & ibid. J. Lud. Viv. lit. a. pag. 474.* Et hoc à mul-
 tis retrò sæculis observatum videmus. Namque à *P. Virgil.* in-
 troducitur,

Rex

Rex idem, & Regi Turno gratissimus augur.
 Æn. IX, vers. 327. lege ibi *Hortensium* ex citatione C. Schrevelii.
 Confer de Rege *Anio*, Phœbiq; sacerdote P. *Virgil.* Æn. lib III.
 vers. 80. Apud C. C. *Tacitum Germanicus* describitur, ut Impera-
 tor auguratu & vetustissimis cærimoniis præditus. *Annal.* lib. I,
 cap. 62., §. 4. & lib. II, cap. 83, §. 2. Nec quisquam Rex *Perfarum*
 potuit esse, qui non ante magorum disciplinam scientiamq;
 perceperit, ait *M. Tullius* de divinat. lib. I, §. 91. *Romulum* cum
Remo fratre, successoremq; *Pompilium Numam*, ut de quorum
 satis constet augurandi peritiâ, lubens prætereo. vide *J. Rosin.*
 III, 18. *L. Cæl. Rhodig.* Lect. Antiqu. lib. II, cap. 1. fol. m. 281. pr.
Andr. Domin. Flocc. de Potest. Roman. libr. I, cap. 4. pag. 155. pr.
 Adde de regibus *Asia*, ejusq; filio, de *Martii* fratribus, de *Poly-*
bo Corinthio *M. Cicer.* de divinat. lib. I. ubi hoc concludit *Epi-*
phonemate: omnino apud veteres qui rerum potiebantur, iidem
 auguria tenebant: ut enim sapere, sic divinare regale ducebant, ut
 testis est nostra civitas, in quâ & Reges augures, & postea privati eô-
 dem sacerdotio præditi rempublicam religionum auctoritate rexe-
 runt. §. 89.

§. VII. Quanti porrò fecerint hanc divinandi rationem,
 vel hoc firmat, quod sex, quotannis (ut habet *M. Cicero* de di-
 vinat. lib. I, §. 92. & eum dubio procul sequutus *Jac. Pontan.* pro-
 gymn. IV, 14.) aut duodecim, (ut *Tb. Dempsterus* ait,) de princi-
 pum filiis singulis *Etrurie* populis, (apud quos apprimè floruisse
 se superius audivimus:) in disciplinam tradiderint Romani,
 ne ars tanta propter tenuitatem hominum à religionis aucto-
 ritate abduceretur ad mercedem atq; quæstum.

§. IIX. Apud *Des. Erasm. Roterod.* in adagior. Chiliadi-
 bus legitur, coronatum ante aciem incessisse olim augurem, neque fas
 fuisse, telis hunc impeti, tanquam virum sacrum ac summoperè vene-
 randum: ut & inde in proverbium abiisse credatur, OMITTE VATEM.
 fol. 432. a. f.

§. IX. Licetorem quoq; auguri, ut & aliis sacerdotibus in
 publicum prodeuntibus, ut summoto populo liber pateret in-
 cessus, concessum ex *Alex. ab Alexand.* patet lib. V, c. 19. ubi au-
 guri, sicut Pontifici Maximo licetorem additum fuisse asferit. &

ex *M. A. Senecâ*, Rhetore, qui Vestali à lictore præeunte populum viâ cedere iustum refert. in Sacerdote prostituta. s. controvers. II, fol. 72. 73. Huic ergo sacerdotio, quod longo ab Auguribus distabat intervallo, si is habebatur honos, quod auguribus non habitum censeamus, non video.

§. X. Ad augendam quoque dignitatem nomina sibi Deorum indidisse, ut alius *Augur Hercules*, alius *Augur Mercurius*, alius *Augur* vocatus sit *Saturnus*, perhibentur è monumentis à fidissimo eorum exhibitore *Wolfg. Lazio* libro sæpius citato fol. 339.

§. XI. Autoritatem porrò Augurum, cui tota subiecta erat Urbs, ne propriis describamus verbis, *Tullium* audiamus de hac re ita disferentem: *Sunt ad placandos deos alii* (sacerdotes) *constituti, qui sacris præsent solemnibus: ad interpretanda alii prædicta vatum, neque multorum, ne esset infinitum, neque ut ea ipsa, quæ suscepta publicè essent, quisquam extra religionem nôset. Maximum autem est præstantissimum in Republica jus est augurum, cum est auctoritati conjunctum. Neque verò hoc, quia ipse sum augur, ita sentio: sed quia sic existimare nos, est necesse. quid enim majus est, si de jure quæremus, quàm posse à summis imperiis et potestatibus comitia tollere? concilia vel instituta dimittere, vel habita rescindere? quid gravius, quàm rem susceptam dirimi, si unus augur aliter dixerit? quid magnificentius, quàm posse decernere, ut magistratu se abdicent consules? quid religiosius, quàm cum populo, cum plebe agendi jus aut dare, aut non dare? quid? legem si non jure rogata est, tollere? ut etiam decreto collegii, ut *Livias* consilio *Philippi* consules et augures nihil domi, nihil foris per magistratus gestum, sine eorum auctoritate posse cuiquam probari? de Leg. lib. II, §. 30. & 31. Hinc & idem in, de Natura Deorum, secundo, de præsentia Numinis ex auguriorum oblatione cognoscenda eò firmat auctoritatem, quod in faustè processerint negotia, contemptis, ludibrioque habitis auspiciis: inducens *P. Claudium*, qui, cum pulli non pascerentur, mergi eos iussit, ut*

quoniam esse nolent, biberent! classe dein devictâ risus istius pœnas luerit: L. item Julium, Actium Navium, C. Flaminiu, & T. Gracchum: qui cum vitio creâset consules (de qua formulâ B. Briffon. de solenn. Pop. Rom. verbis lib. I.) ipse confitebatur: *Augures rem ad senatum: senatus ut abdicarent: Consules abdicaverunt: quæ quærimus exempla majora? Vir sapientissimus, atque haud scio, an omnium præstantissimus peccatum suum, quod celari potuit, confiteri maluit, quàm herere in republicâ religionem: Consules summum imperium statim deponere, quàm id tenere punctum temporis contra religionem. Magna Augurum auctoritas! §. 7. 8. 9. 10. 11. Adde lib. II. de Leg. §. 21. T. Liv. ab V. C. lib. I, cap. 36. Q. Curtium lib. VII, cap. 7. §. 8. C. C. Tacit. Annal. lib. XI. cap. 27, §. 2. & lib. XV, cap. 37, §. 5. Histor. lib. I, cap. 84, §. 8. & lib. III, cap. 72. §. 1. Dionys. Halicarnass. Antiquitat. Roman. lib. II, cap. 6. Andr. Hotoman. de Vet. Rit. Nuptiar. Observat. cap. 12. pag. 253. 254. 255. Andr. Domin. Flocc. de Potestat. Roman. lib. I, cap. 4, pag. 155. pr. Pompon. Let. de Sacerdot. Rom. libr. II, cap. 5, pag. 271. f. 272. pr. Raphaël. Volaterran. de Magistrat. & Sacerdot. Roman. libr. II. pag. 298. m. Reinhart. Lotich. ad Apbtbon. Sophist. pag. 78. m. Augustin. Niph. de Augur. lib. I. præfat. & cap. 10. pag. 23. Barnab. Briffon. de Ritu Nuptiar. pag. 37. 38. 39. J. H. Bacler. Disfert. Academ. IV, cap. I, pag. 180. f. 181. pr. Joh. Schild. ad C. Sveton. Tranqvill. Octav. Aug. cap. 21. p. 132. a. f. 6. pr. Wolfg. Laz. Comment. Reip. Rom. lib. III, cap. 12. fol. 339.*

§. XII. Ortam autem apud Latinos hanc grandem superstitionem esse, bonæ notæ Scriptores ex Accii Navii factis, qui novaculâ cotem dissecuisse dicitur, contendunt. Res illa ita se habet: *Animadvertens (Accius Navius Tarquinium) Regem inauspicatò quædam constituentem, reprehendit, nisi quæ aves addixerint, fieri quicquam noluit. Irâ tum motus Rex, eludensque artem, (ut ferunt) agedum, inquit, divine tu in augura, fierine possit, quod nunc ego mente concipio. Quùm ille in augurio rem expertus profectò futuram dixisset; At qui hæc animo agitavi, inquit, te novaculâ cotem discissurum: cape hæc & perage, quod aves tuæ fieri posse portendunt. Tum illum*

haud cunctanter dissecuisse ferunt. Statua Accii posita capite
 velato, quo in loco res acta est, in comitio, in gradibus ipsis ad la-
 vam curiae, fuit: eodem quoque loco sitam fuisse memorant,
 ut esset ad posterum miraculi eius monumentum. Augur iis certe
 sacerdotioque augurum tantus exinde accessit honos, ut nihil bel-
 li domique postea nisi auspiciato gereretur: concilia populi exerci-
 tusque vocati, summa rerum, ubi aves non admisissent, dirimerentur.
 Hucusque T. Livius ab V. C. l. l. c. 36. Referunt eandem rem M. Cice-
 ro de div. nat. l. l. §. 32. 33. de leg. l. l. §. 3. L. An. Florus l. l. c. 5. Valer.
 Maximus lib. l. cap. 4. C. Plin. Histor. Nat. lib. XXXIV, cap. 5. Dio-
 nys. Halicarnas. lib. III, cap. 94. Raphaël Volaterranus lib. XIII, &
 XXIX. it. de Sacerdot & Magistrat. Roman. libr. II, pag. 298. pr.
 Polydorus Virgilius de Inventor. Rer. lib. I, cap. 24. pag. m. 85. pr.
 Laëtant. lib. I, cap. 8 & lib. II, cap. 7. Blondus lib. I. Romæ Trium-
 phantis. Andr. Domin. Floccus de Potestat Rom. lib. I, c. 4. p. 154. f.
 Lud. Cal. Rhodigin. Lektion. Antiqu. lib. X. cap. 17. fol. 376. f. Wilb.
 Godelevens ad T. Liv. libr. I, l. cit. Camers. ad L. Flori locum lau-
 datum.

§. XIII. Nec omittenda Apollinis tutela, in qua augu-
 rum credebatur esse collegium. Nam quum peritus admodum
 ipse perhibeatur augur ab Horatio Flacco & P. Virgilio: illo qui-
 dem Od. lib. I, 2. vers. 12.

N. ibe candenteis humeros amictus Augur Apollo.

& Carm. Saecul. vers. 61.

Augur & fulgente decorus arcu

Phæbus & c.

Ab hoc verò Æneidos lib. IV, vers. 376.

-- -- -- *Nunc Augur Apollo. & c.*

iis quoque praefuisse, suamque in tutelam habuisse vult Commentator.
 Pertinet eodem, quod Andreas Tiraquellus de Æsculapio,
 quem Apollinis nomen gerere multis firmat, refert, Apollo-
 dorum in iis libris, quibus titulus sit *Ἰεῶν*, asserere. Æscula-
 pium & divinationibus, & speciatim auguriis praesse. de No-
 bilitate cap. XXXI, §. 17. fol. 240. m.

§. XIV.

§. XIV. *Augustinus* tandem *Niphus* in suis de hoc sacerdotio *Commentariis* *viris tantum illustribus proprium conceditum* refert; ac si scilicet *abjectis personis, neque boni quicquam, neque mali portenderent aves.* Lege cap. 4. libri de *Auguriis* prim. pagin. 8. m. f. Refer eò, quod in antecedentibus retulimus, plebejis initiò nullum patuisse ad hoc sacerdotium aditum, solis patriciis proprium, donec rogatione *Ogulniâ* quinque adderentur de plebe, uti c. III, §. 3. ex *T. Livio, Car. Sigonio & W. Godelevæo* vidimus. Addatur *Andr. Tiraqvell. de Nobilit. cap. XX. §. 12. f. 136.*

CAPUT VI.

De

OFFICIO AUGURUM.

§. I.

IN eo situm hoc erat, ut ex quinque istis vulgatis rebus, ex fulminibus, ex volucris, ex bipedibus, ex quadrupedibus, & ex diris, sive ostentis aut ominibus quibusdam negotiorum, quæ non parvi essent momenti, prosperum successum vel infausum prænoscerent ac annunciarent: Vide in hanc rem *Rab. Mosen Maimoniden* de *Idolol. cap. XI, §. 4. pag. 145.* & ad eum locum *Dionys. Vossium* pag. 146. 147. ejusdemque Parentem, *Ger. Joann. Vossium* in *Theolog. Gentil. libr. III, cap. 98. pagin. 1260.* *Joh. Ludov. de la Cerda* ad *P. Virgil. Æneid. lib. III, vers. 361. fol. 320. E. 379. a. 1. & 2. & ad lib. X, vers. 176. fol. 435. num. 18.* *Joh. Ludov. Viv. ad S. Aurel. Augustin. de Civ. Dei lib. III, cap. 21. pag. 341. pr. Augustin Niph. de Augur. lib. I, cap. 10. pag. 23. f.*

§. II. Sed & ex aliis rebus captata legimus auguria: ut puta ex piscibus; quæ super re *Plutarchus* audiendus nobis in libello de solertiâ Animalium, in hæc verba differens: *Μηδὲ τῆς πολυτιμῆτος μαντικῆς ἀμείρον τὸ τῶν ἐνὶ ὕδασι γενέσθαι, μηδὲ ἀγέραςον. ἐπεὶ καὶ πρὸς Σέρραν πυνθάνομαι κώμῳ ἐν τῇ Λυκίᾳ φελλῶ μεταξὺ καὶ Μύραν, καθέζομένους ἐπὶ ἰχθύσιν, ὡς πρὸ οἰωνοῖς, Διαμαντεύεσθαι τέχνη ἑνὶ καὶ λόγων λέξεις, καὶ Φυλαίς, καὶ διώξεις αὐτῶν Ἰπποκοπῆντας.* Neque *preciosæ illius divinationis* (vertit *Guliel. Xylander*) *exfors est aquaticæ animantium ge-*

C 3

nus,

mus, neque suo honore caret: quando etiam apud Suram (pagus is est Lyciæ inter Phellos & Myra:) audio homines piscibus assidere, ex iisq; arte quadam, tanquam ex avibus præfagia futurorum captare. Tom. II. Operum fol. 979. B.

§. III. Notat prætereà, & tanquam de noviter invento aliquo gloriatur Th. Dempsterus à Muresk in Paralipom. ad J. Rosin. Antiquitat. Roman. lib. III, cap. 8. pag. 277. b. pr. ex ventis captata auguria: firmaturus hanc rem ex P. Statii Papinii verbis lib. III. Thebaid. vers. 665.

-- -- -- Ventisq; aut alite visâ
Bellarum proferre diem.

adducens veteris Interpretis, Lucratii Grammatici, notas: solent augures ventorum flatibus futura cognoscere. Refertq; huc illud, quod Veteres Ventos deorum putaverint quasi quosdam internuncios, vota hominum precesq; ad eos deferentes: quæ verò irrita cadebant, neq; ex animo eveniebant, ea à ventis dissipata, & ad deos non perlata crediderint, aut in longinquas regiones aucta, & procul exportata autumaverint: & inde, quæ averfati fuerint, aut evenire noluerint, ventis differri dissipariq; exoraverint. Cujus quidem rei vestigia sat multa habemus apud præstantissimos Scriptores. P. Virgil. Ecl. III, vers. 72. Æn. IX, vers. 303. X, 652. XI, vers. 794. Culic. vers. 375. M. Catull. Carm. LXV, vers. 142. Alb. Tibull. lib. III, eleg. 4. S. Aurel. Propert. lib. I, el. 16. & lib. II, eleg. 7. Q. Horat. Flacc. lib. I, od. 26. vers. 3. P. Ovid. Metamorphos. lib. X, fab. it. 83. Commentat. ad loca Poëtarum citata. Jacob. Pontan. progymn. lib. I, 18. Des. Erasmi. Roterod. Chiliad. fol. 356. b. pr. & 541. b. m. Adrian. Turneb. Adversar. lib. I, cap. 23. col. 26. m. f. Petr. Victor. lib. XXX, cap. 18.

§. IV. Verùm C. Barthius in suis ad P. Papinii l. c. Animadversion. refutat illam lectionem nec ejus meminit explanationis: absurdum quippe putat, ventum videri, quod nemini unquam contigerit mortalium: mavultq; unâ extrusâ literâ *venis* legere, ut ad aruspicinam, sive extispicium (h. e. extorum inspectionem) referatur, ipsi ut videtur commodius.

§. V. Placet hæc C. Barthii animadversio; non omninò tamen illa displicet Th. Dempsteri annotatio: quùm *to videri* impro-

impropriè sæpè accipiatur pro eo, quod *observare*, sive *cognoscere*, aut *experiri* aliàs dicitur, etiam oculorum si non accedat usus. ut ap. *M. Plaut. Trinum. act. III, sc. Sta illicò. vers. 72.*

Scio equidem te, animatus ut sis: video, subolet, sentio.

Confer *P. Virgil. Culic. vers. 455.* ita pro *curare*, *providere* sæpiùs usurpatum ap. *M. Plaut. P. Terent. M. Cicero. P. Ovid.* reperies in *Lex. Crit. Phil. Parei pag. 1295. b. f. 1296. a.* Jam, pro *sensu olfactus* explicant illud *Comici Sarsinatis* in *Milite Glor. Act. IV, scen. 6, vers. 44.*

Naso pol jam plus videt, quàm oculis.

Cujus notionis & *edere* & *bibere* accipi ajunt. v. *P. Parei Lex. citat.* Patet ergò, impropriè sæpiculè ab optimis Scriptoribus hoc vocabulum accipi: nec ejus gratiâ hanc augurandi speciem rejiciendam.

§. VI. Sed, quid operosi sumus in evolvendâ verbi hujus significatione? Ipsa nos docent auguria in stricto admodum significato non semper accipi: quippe & *tonitrua* ab auguribus observata accipimus: (quod vel ex obvio hóc versiculo firmari potest:

Cum tonuit levum benè tempestate serenâ.
it. illo *P. Virgiliti Æn. II, vers. 692.*

Vix ea fatus erat senior; subitoq; fragore
Intonuit levum &c.

aliisq; locis quàm plurimis:.) Non ergò omnia auguria videbantur: nec ob solum vocabulum *videre* observationem illam spernendam omninò putamus, modò alii ejus mentionem faciant auctores. At, quid? si auspicia hæc ventorum eò referamus, quod in captandis auguriis accendere amaverint lucernas, non adopertas, ut cognosceretur, num ventus flaret, qui avem impediret in volando auguralem? uti capite sequenti ex *August. Nipho* & *Plutarcho* adducemus §. II.

§. VII. Verùm ne de ventorum disceptantes auguriis ventis quoq; verba dare videamur, uti prudenter monet *Paræmiographus* (fol. 327. b. m. 337. a. f. b. pr.) officium augurale ex ipsâ augurali lege cognoscamus, *M. Cicero* quam nobis exhibet in *de Legibus secundo: Interpretes autem Jovis Optimi Maximi, pu-*
blicis

blici augures signis & auspiciis postea vidento, disciplinam tenent. Sacerdotes vineta virgetaq; & salutem populi auguranto: quiq; agant rem duelli, quiq; populare auspiciam praeponunt, illiq; obtemperant: divorumq; iras provident, iisq; parento: urbemq; & agros & templa liberata & effata habent. §. 20. & 21. Et lib. III. Auspicia servant. Est autem boni auguris, meminisse maximis reipublicae temporibus praesto esse debere: Joviq; Optimo Maximo se consiliarium atque administrum datum, caeliq; partes sibi destinatas esse traditas, è quibus saepe opem referre possit. §. 45.

§. IIX. Ex priori Tullii loco hæc observare libuit: (α) Interpretes Jovis vocari augures, quòd aves Deorum crederentur esse internuntia, uti in secundo Ciceroniano allegato consiliarios appellari videmus. Vid. ex Ammian. Marcellin. Th. Dempst. ad J. Rosin. lib. III, cap 8. it. quæ nos paralipom. primo in principio statim adferimus.

(β.) Publicos vocari augures, quod ad confirmandum ea valet, quæ ex Th. Dempstero de publicis & privatis, majoribus & minoribus auguribus adduximus superius, & ex aliis auctoribus firmavimus cap. II, §. ult.

(γ.) Verba illa (salutem populi auguranto) de augurio salutis quod vocabatur aliàs, accipienda, de quo brevitatis ergò evolvatur Wolfg. Laz. in Commentar. Reipubl. Roman. lib. III, c. 12. fol. 342. & c. C. C. Tacitus Annal. lib. XII, cap. 23, §. 2. B. Briffon. de solenn. Pop. Rom. formul. lib. I, p. 120. pr.

(δ.) Scriptio verbi (optemperanto) probari potest ex duobus istis, opsonium & opstetrix: quorum illud ap. Q. Horat. habemus lib. II, Sat. 2, vers. 41. edit. C. Schrevelii: hoc verò laudatus Commentator notat ad P. Terent. Andr. act. I, sc. 5. vers. 64. p. 48. b. m.

(ε.) Tempia autem & effata, quæ sint nominata ab auguribus, in sequenti mox capite, ubi de augurandi ratione, quantum invenire licuit, adducemus, explicabimus.

§. IX. Ad augurale officium illud quoque addendum venit, quòd omnibus alicujus momenti negotiis publicis interesse, & de cælo servare, utrum addicerent aves fausta portendentes, augurem decuerit: verùm res ex se ipsa clarior nullam indiget probatione. Hoc tantum monendum censemus, in comitiis

mitiis centuriatis à diversis diversa auguria diversâ procul dubio ratione captari solita, aliâ scil. ab auguribus, aliâ verò à magistratibus, qui & ipsi aliquid observabant: cujus quidem rei explicatione supersedere facile possumus, quum omnem prolixè rem expediverit *Aldus Manutius* de quæsit. per Epistol. lib. III, 9. Tom. IV. Thesaur. Crit. *Gruteri*. & ex eo præcipua excerpterit capita 7. *Rosinus* Antiqu. Roman. lib. VI, cap. 7. ex quibus cupidus harum rerum cognitionem haurire facile potest.

§. X. Sciendum ulterius, de prodigio, ave, & omni, quod sub augurum cadebat disciplinam, non omnem augurem responsa dare potuisse; verum qui sine labe esset ac integer corporis, uti in præcedenti capite §. 5. audivimus ex *Plutarcho* & aliis: imò nec unum aliquem solum, sed universum simul collegium in rebus, quæ magnæ erant momenti, judicare oportuisse. Firmatur hoc verbis *Alexand. ab Alexand.* Sed tamen, inquit is, auguri sine collegio auspicia interpretari non licuit: totum enim collegium censere, & sententiam ferre decebat, si quid exquisitiùs interpretari vellent; si durior fortè casus ambiguae fuerit interpretationis, qui in dubium controversiamque veniret: ad quos etiam de singulis prodigiis & portentis, quæ eorum foret prædictio, & an fædo vel felici exitu eventura essent, omnes tanquam ad adytum aliquem consultum ibant. *Genial. Dier.* lib. V, cap. 19. De rebus verò levioribus vel unum consuluisse sufficere putabant: qui, si inauspicato aut avibus (ut loquebantur) non admittentibus rem suscipi dixisset, omittendæ ejus auctor sat certus habebatur. Auctor *M. Cicero* de Legibus: quid gravius, quàm rem susceptam dirimi, si unus augur ALIO DIE dixerit? lib. II, §. 31.

§. XI. Intercidisse autem plurima ex augurali disciplinâ ipsius jamdum *Ciceronis* tempore *Quinctus Frater* conqueritur, dum *Auspicia à Romanis Auguribus ignorata* dicit: & paulò post, multa *Auguria, multa auspicia, quod & Cato ille sapiens quæstus fuerit, negligentia collegii amissa planè & deserta*, astringit de divinat. I, I, §. 25. & 28. Addantur ipsius *M. Tullii* verba de leg. I, II, §. 33.

§. XII. Et hæc sunt, quæ de augurum officio liquent. Dolet *Aldus Manutius* libros penitus interiisse augurales, quorum apud *M. Cicero*. de divinat. lib. I, §. 72. Epist. famil. lib. III, 4.

D

it. 9.

it. 9. & 11. & alios plures frequens injicitur mentio; ut quænam propria eorum doctrina, quod fuerit officium accuratius inquirere jam nequeamus. De quæsit. per Epist. lib. I, 9. Tom. IV. Thesaur. Crit. J. Gruteri.

De modo nihilominus captandi ex avibus auguria quantum in Rerum Romanarum consignatoribus invenire nobis licuit, sequenti adducamus capite, quò superstitionem, cui ut maximè reverendæ adhæserunt religioni, aliquò noscamus modo. Reliqua quippe auguriorum genera explicatione multifariâ non indigent, quum quodque suâ sponte pateat: ut, sicubi ex occurrente cane atro, aut canente gallinâ, conspectæve mustelâ, vel etiam ex sternutatione aut palpitatione partium corporis agendorum successum annunciare libet, nullâ opus est peculiari observatione aut cærimoniâ, quæ in volatu avium perquam necessaria fuere. Lege, si placet J. Rosin. Antiq. Rom. lib. III. cap. 9. & in id Tb. Dempst. Augustin. Niph. de Auguriis l. I. capitibus aliquot primis. it. cap. 16.

CAPUT VII. & ULTIMUM,

De

MODO CAPTANDI AUGURIA, EX AVE VOLANTE.

§. I.

Captandorum ex avium volatu auguriorum hæc erat ratio:

Horis matutinis ejusdem diei, in quo grave aliquod expediendum erat negotium à mediâ nocte ad mediam lucem, (nam quando uno die & auspiciandum est, & id agendum, super quo processit auspicium. post mediam noctem auspiciantur, & post exortum Solem agunt, inquit Aurelius Macrobius Ambrosius Theodosius in Saturnal. lib. I, cap. 3. & Alexand. ab Alexand. quum certa dies auspiciis dicata esset, post mediam noctem ad mediam futuram diem licebat. Septimâ autem aut sextâ

sextâ diei borâ non licebat : namq; incipiente aut crescente die, non autem desinente justa auspicia fuere. Genial. Dier. lib. V, cap. 19. Aul. Gell. Noct. Atticar. lib. III, cap. 2. pag. m. 85. m. Trahunt eò nonnulli verba illa *Q. Horatis* lib. III, od. 19, vers. 10.

Da noctis mediæ, da, puer, auguris

Murene poculum!

Quasi nimirum mentione auguris tempus significaretur matutinum, quòd augures captaverint, aviumq; volatûs ac garrîtûs sub ortum solis observaverint; ad quod usque tempus convivaturi sint Horatiani combibones: uti ex *Adr. Turneb. Adversar. lib. XVI, cap. 11. fol. 532. ad Horat. l. c. cum Lambino notat C. Schrevelius pag. 209. b. 210. a. m.)*

ante Sextilem mensem (uti *Neapolitanus* docet *J. Crus*, rationem assignans, quòd aves imbecillæ tum temporis sint atque morbide, vel pulli earum imperfecti, ut à Pontifice Maximo (*Metello* scilicet, juxta *Plutarchum* loco mox laudando, & *Augustin. Niph. de Augur.*) vetitum fuerit, eò tempore de cælo servare. Genial. Dier. lib. V, cap. 19. Addit hisce rationibus *Aug. Niphus*, quòd nonnullæ ob anni tempus devolarent aliò. *de Augur. lib. I, cap. 15. num. 5. pag. 34. f. Lege de utrisq; Plutarch. Cheron. in Quæst. Roman. sive Problem. fol. 273. Tom. II. operum.)*

in arce (vide *T. Liv. ab V. C. lib. I, cap. 18. aliosq; L. Cal. Rhodig. auguratorium* vocatur *Lecl. Antiqu. lib. VII, cap. 29. de quo & C. Barthius in Adversar. Comm. lib. II, cap. 12, col. 100. augurale C. C. Tacito Annal. lib. II, cap. 13. §. 1. auguralis ara* idem meminit *Annal. lib. XV, cap. 31, §. 1. J. Lipsio auguraculum* dicitur ad *lib. II. Taciti l. c. super quibus legatur Janus Rutgerfius Lection. Var. l. b. III, cap. 20. pag. 366. 367. Confer, si placet, B. Brisson. de solenn. Pop. Roman. Formul. l. b. I, pag. 124. pr. Adr. Turneb. Adversar. lib. XX, cap. 35. fol. 714. qui locum captandorum auguriorum in *Capitolio* collocat. à *lin. 47. Augustin. Niph. de Augur. lib. I, cap. 12. pag. 31. pr. Andr. Domin. Flocc. de Potestat. Rom. lib. I, cap. 4. pag. 153. f.)**

sedebat (ne scilicet mobilitate corporis animus quoque va-

cillaret, ut ait *Christoph. Landinus* ad *P. Virgil. Æn. lib. IX, vers. 4.*
ubi Poëta dixerat,

-- -- -- -- fortè parentis

Pilumni Turnus sacratâ valle sedebat.

fol. m. 276. 2. m. edit. Venet. anno 1493. excusæ. Consule de hoc
T. Liv. ab V. C. lib. I, cap. 18. P. Virgil. Æn. VII, 187. & ad eum ex
Plutarcho, Sophocle, Cyrillo, Servio, Varrone & Paulo lectu non in-
digna Job. Lud. de la Cerda fol. 36. B. C. D. 2. B. Briffon. de sol.
Pop. Rom. form. libr. I, pagin. 62. pr. Fr. Taubm. ad P. Virgil.
Æn. IX, 4. pag. 861. a. f. & Serv. ibid. fol. m. 276. i. f.)

aut cubabat augur (observat hoc approbatq; *B.*
Briffonius libro allegato p. 125. f.)

indutus lanâ (quæ erat toga duplex, amictus augura-
lis, de multâ lanâ, à Græco *χλαῖνα*, coloris dibaphi: uti descri-
bitur à *Frid. Taub.* ad *P. Virg. Æn. IV, vers. 262. pag. 579. a. 2. Jac.*
Pontan. in symb. ad l. c. col. 1165. Servio fol. m. 190. 2. J. Lud. de la
Cerda fol. 428. b. 2. f. Dionys. Gothofred. ad M. Cicer. in Bruto
§. 56. J. Rosin. Antiqu. Roman. lib. V, cap. 31. pag. 552. m. Alex.
ab Alex. Genial. dier. lib. V, cap. 19. Lud. Cæl. Rhodigin. Antiqu.
Lect. lib. XVI, cap. 10. fol. m. 597. pr. J. C. Scalig. Exercitat. ad
Hieron. Cardan. de subtilitate CCCXXX, section. 14. pagin. m.
999. pr.)

aut trabeâ (ex purpurâ & cocco quæ constabat, & hâc
ratione à Consule, Equite, & Rege discernerebat augurem: eo-
rum namq; alios referebant colores, quantumvis ad eundem
confectæ modum: vide ex parte jam citatos, & præter eos *H.*
Salmuth ad *Gvid. Panciroll. Rer. Deperdit. lib. I, tit. 45. pag. 217. b. f.*
Servium Maurum ad *P. Virgil. Æn. VII, vers. 188. fol. m. 284. 2. m.*
ubi Poëta:

Ipsè Quirinali litno, parvâq; sedebat

Succinctus trabeâ.

Job Lud. de la Cerda ad l. c. fol. 101. b. 2. f. 102. 1. & ad lib. XI, v. 334.
fol. 591. b. *Frid. Taubmann. pag. 769. a. 2. Ald. Manut. de quæsitis per*
epist.

epist. lib. II. epist. 3. pag. 297. Tom. IV. Thes. Crit. Gruteri. Jac. Masen. Palæstr. Styl. l. IV, c. 38, §. 4. p. 162. f.)

capite velato (quod & in aliis sacris moris erat, ne scilicet alienis turbatus oculos rebus sacra faciens totus vacare rei divinæ prohiberetur, à multis retrò observatum sæculis: ut ex P. Marone patet, quando *Laocoonta* describit, ubi spinis ingentibus ab angvibus ligatus, fuerit

Perfusus sanie vittas.

Æn. l. b II, vers. 221. 296. & vers. 430. Et sequenti libro v. 369.

Hic Helenus castis primùm de more juvencis

Exorat pacem divùm, vittasq; resolvit

Sacra capitis. -- -- --

addens mox vers. 405.

Purpureo velare comas adopertus amicta,

Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum

Hostilis facies occurrat, & omina turbet.

Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto,

Hæc casti maneant in religione nepotes.

Lege ad eum locum *Com. D. J. Juv. Sat. VI, v. 389. 390.* ubi vide *Domit. Calderin. f. 54. 2. f. edit. Venet. 1481. it. Adrian. Turneb. Adversar. lib. IV, cap. 22. f. 134. lin. 18. J. J. N. Scheck. Observ. Præmefs. 10. in Thes. Crit. J. Gruteri Tom. IV. Andr. Domin. Flocc. de Potest. Roman. lib. I, cap. 4. pag. 153. f. Pompon. Lat. de Sacerdot. Rom lib. II, cap. 5. p. 232. pr. G. Elmenhorst. ad Arnob. adv. Gentes l. III, f. 80. m. Et, si aliarum gentium ritus advocare liceret, ipsos adducere- mus Judæos, quos in hodiernis adhuc precibus eundem retinere modum obvelandi caput, auctor est J. Buxtorff. in Synagog. Judaic. cap. X, pag. 221. f. & in appendice post Judicem p. 4.*

baculo augurali, quem lituum vocabant,
(incurvum, & leviter à summo inflexum bacillum, uti ab ipso M. Cicerone describitur in de divinat. I, §. 30. in icone verò nobis exhibetur à Job. Rosin. Antiq. Roman. lib. III, cap. 9. Scipionem appellat C. C. Plinius Histor. Natural. lib. XXIX, c. 2. Vide amplius T. Liv. lib. I. ab V. C. c. 18. P. Virgil. Æn. l. VII, vers. 57. ibiq; Servium fol. m. 248. 2. pr. Æl. aut Tiber. Donat. & Christoph. Landin. f. 249. 1. pr. Fr. Taubman. p. 769. a. 2. pr. Joh. Ludov. de la Cerda

fol. 36. E. 1. A. B. 2. *Job. Lud. Viv. ad S. Aur. Augustin. de Civit. DEI* lib. XIIIX, cap. 15. lit. n. pag. 584. *Andr. Domin. Flocc. de Potest. Roman. lib. I. cap. 4. p. 153. f. Pompon. Lat. de Sacerdot. Roman. lib. II. c. 5. p. 272. pr. Aurel. Macrob. Ambros. Theosof. Saturnal. lib. VI, c. 8. p. 844. m. 489. pr. Aul. Gell. Noct. Att. c. 1 V, c. 8. Jac. Masen. Specul. Imag. Verit. Occultæ l. III, c. 6. p. 316. Wolfg. Laz. in Commentar. Reip. Rom. l. III, c. 12. f. 339. m. f. 340.*

quia manu non licebat (uti apud laudatos Scriptores plerosq; omnes habetur: quibus adjungi potest *Wilb. Godeleva. ad T. Liv. l. I, c. 18. p. 15.*)

cœli regiones designabat, quæ tēpla audiebant (de his *Alex. ab Alex. Gen. Dier. lib. V. And. Domin. Flocc. l. c. Pompon. Lat. ibid. T. Livius, ubi supra. B. Briffon. de Sol. Pop. Rom. form l. I, p. 122. pr. Onuphr. Panvin. l. II. descript. Romæ f. 160. f. Augustin. Niph. de Augur. l. I, c. 12. p. 31. pr.*)

aut effata (erant enim *effari & affari* propria auguralis scientiæ vocabula, ut præter *B. Briffon. loc. alleg. legimus ap. Fr. Taubman. ad P. Virgil. Æn l. II, vers. 692. p. 280. 281. ad l. III, v. 463. p. 532. ad VI, v. 197. p. 696. ap. Servium ad P. Virgil. f. m. 223. a. m.*)

Et hoc dicebatur capere (vid. *Fr. Taubman. ad M. Plaut. Menæchm. act. I, sc. 2. v. 54. ad P. Virgil. Culic. v. 389. p. 132. a. 1. Jac. Pontan. ad P. Virg. Æn. l. I, vers. 400. col. 848. B. Phil. Parai Lex. Crit. pag. 167. Adrian. Turneb. Adversar. l. XXX, cap. 29. col. 1186. lin. 47.*)

cujus rei verba solennia ex Josephi Scaligeri emendatione hæc habemus ap. J. Rosin. III, cap. 8. ex Varrone: TEMPLA. TESQVAQVE. INCITA. SUNTO. QVÆ. AD. EGO. CASTE. LINGVA. NUNCUPAVERO. OLLA. VETER. ARBOR. QVISQVIS. EST. QVAM. ME. SENTIO. DIXISSE. TEMPLUM. TECTUMQVE. ESTO. IN SINISTERUM. OLLA. VETER. ARBOR. QVICQVID. EST. QVOD. ME. DIXISSE. SENTIO. TEMPLUM. TECTUMQVE. ESTO.

ESTO. IN. DEXTERUM. INTEREA. CONCRETIONE.
CONSPITIONE. CORTUMIONE. UT. EIQUE. NECTIS-
SUME. SENSI. pag. 281. f. 282. pr.

§. II. *Maētatis postea sacrificiis* (de more sa-
crorum, uti ex *Fr. Taubm.* colligitur ad *P. Virgil. Æneid. libr. III.*
vers. 369. *J. Rosin. III, 9.*)

*facie in orientem versâ prospectuq; in Ur-
bem & agrum capto* (cujus rei gratiâ *edis Titum Clau-
dium Centim. alum*, qui in *Cælio monte* habebat, demoliri jussum *M. Cicero* refert, quòd earum altitudo officeret auspiciis, de offic.
I. III, §. 66. De cætero ad *T. Liv. I. I, c. 18. Jac. Masen. Spec. Imag. Verit. Occult. I. I, c. 9. p. 37. pr. it. Palæstr. Styl. I. IV, c. 28, §. 7. p. 100.*
m. f. *Q. Horat. I. III, od. 27, v. 11. 12. ibiq; Schrevel. ex Torrentio p. 230.*
a. m. f. aliosq;ve.

*Vota ad deos pro felici augurio precesq; fun-
debat, quæ, ne inter recitandum hesitaret aut ti-
tubaret, vel aliquid omitteret, de scripto præ-
ibantur,* (juxta *Alex. ab Alex. Gen. Dier. I. V, c. 19. Aug. Niph. de Augur. I. I, c. 15. p. 34. Conf. Q. Horat. Od. I. cit. D. J. Juvenal. Sat. VI, v. 390. 391. Q. Curt. I. IV, c. 13, §. 15. C. C. Plin. H. N. I. XXIIIX, c. 2. J. Masen. Palæstr. Styl. I. IV, c. 28, §. 29. Verba recitat J. Ros. I. c. Quantumvis non eadem usquequaq; observata B. Briffon. extra arcem scilicet adstruat in solenn. Pop. Rom. formul. I. I, pag. 122 f.)*

accensis luminaribus (Nam nisi luminaria accensa adessent, sacerdotes non captabant auguria, inquit *Aug. Niphus I I, c. 15, num. 5. quoniam ita se habet lucerna ad sacerdotem, ut anima ad deos, nam lux est velut is, qui intus est animus:*)

ventis non turbantibus (cujus gratiâ cognoscendi accensa quoq; lumina ex *Plutarcho* idem asserit *Niphus*, quoniam aves augurales non consistere quirent, flantibus ventis: ventos autem flare.

flare, cognoscitur lucernis ac luminaribus accensis. l. c. Lucernas autem illas operite moris non erat, quum undequaque apertis ventorum flatus eò citius agnoscat, uti annotat *Plutarchus* in *Quæst. Roman.* s. *Probl.* Tom II. fol. 281. A. Et optimè explicat *Job. Pierius Valer. Bolzanius* in *Hierogl.* l. XLVI. de *Lucernâ* §. *Vita animusque.* fol. m. 340. B. edit. Basil. 1575.

facto ubique silentio (Garritus observandi ergo: uti fusè docet *B. Briff.* de solenn. Pop. Rom. form. II, p. 124. 125.

immotis oculis (Ne scil. alius rei adspectus, aut ut supra ex *P. Virgilio* adducebamus,

*Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum
Hostilis facies occurrat, & omnia turbet,*
adde *Fr. Taubman.* ad *Æn.* l. VI, v. 197. p. 696. & ad libr. IX, v. 4. pagin. 861.)

cælum intuebatur serenum, (Nam turbido non licebat. hinc in augurio cygnorum *Æneæ* oblato *Maro,*
*Ætheria quos lapsa plagâ Jovis ales aperto
Turbabant cælo.*

Æn. I, v. 398. i. e. *sereno*, ut uno ore *Commentatores.* Trahunt eò nonnulli verba *Q. Horatii* Od. l. III, 27, v. 9.

Ita quando ap. *M. Plautum* Epidic. act. II. sc. 2. v. 1. & *Pseud.* act. II, sc. 4, v. 72. *liquidi* mentio fit *auspicii*, alio sensu accipiendum non est. lege *Fr. Taubm.* ad utrumq; locum pag. 492. a. 1. & 998. a. 2. *G. Elmenhorst.* ad *Arnob.* advers. Gentes l. III. it. *Alex. ab Alexand.*)
Adr. Turneb. Adversar. l. XVI, c. 10. col. 530.

*expectans, unde & qui avis se offerret non
ulcerata:* (Sicuti namq; augurem, ita avem quoq; auguralem absq; tabe esse decebat. vide Cap. V, §. 5. ex *Plutarcho.*

dicebaturq; augurari: (Notanda hîc verborum *auguro* & *auguror* differentia, quam *Servius* assignat: quod illud deno-

denotet. præfagio mentis futura cognoscere; hoc verò ipsa designet auguria. ad *P. Virgil. Æn. VII*, vers. 273. fol. m. 250. i. f. Illo usus est *M. Cic. de republ. lib. IV*, citante *Nonio. v. J. L. de la Cerda* fol. 84. c. 2. *Fr. Taubm. ad M. Plaut. Cistell. act IV*, sc. 2, vers. 26. pagin. 463 B. 2. f. *Phil. Pare. Lexic. Crit. p. 233. 2. pr.*)

aut de cælo servare. (Sæpissimè hæc in *M. Tullii* oration. & aliis scriptis occurrit formula, à qua *aves servatas* dictas legimus ap. *B. Briffon. de Solenn. Pop. Rom. formul. lib. I*, pag 122 m. v. *Fr. Taubm. ad P. Virgil. Æn. l. b. VI*, v. 107. p. 696. B. 2. *G. Elmenhorst. ad Arnob. f 62.*)

§. III. *Oblato ergò uno augurio, dum per simile confirmaretur vel tolleretur, præstolabatur*

augur: (Poterat quippe per sequens, si majoris fuerit ponderis, rescindi prius: sin verò per alterum confirmaretur, majori ei tribuebant fidem. Res ex historiis clara. vid. *Cic. de divin. l. I*, §. 106. *de Mario. De Ænea P. Virg. Æ. II*, in fine. ibiq; *Fr. Taubm. pag. 480. & ad Æn. II X*, v. 78. p. 817. a. 1. *Serv. & Landin. fol. m. 161. 2. pr. 162. 1. m. J. L. de la Cerda f. 257. A. B. 2. & ex Jac. Pont. symbol. G. Schrevel. p. 390. b. f. J. Palmer. Spicileg. p. 616. 617. Tom. IV. Thesaur. Crit. J. Gruteri. August. Niphus de Augur. libr. I. cap. 1, pagin. 4. pr.)*

quò impetratò (Ita namque, quæ eveniebant optata, nominabantur: quæ verò non poposcerant, Oblativa, uti docet ex *Passerat. ad S. Propert. Fr. Taubm. ad M. Plaut. Pœnul. Act. V*, sc. 2. v. 14. pag 1097. Vide eum ad *P. Virg. Æn. VI*, 190. p. 696. b. 1. & ad *l. XII*, v. 260. p. 1031. a. 2.

è templo surgens, abibat (Nata ex in vulgi paræmia, *extemplò*. Refer huc *Ænean*, quando à columbis ramus monstratus esset aureus,

Corripit extemplò Æneas, avidusq; refringit

Cunctantem.

ap. *P. Virgil. Æn. VI*, v. 210. ubi lege *Serv. fol. m. 233. 1. m. it. ad Æn.*

E

II, 699.

II, 699. fol. 162. i. m. *Fr. Taubm.* ad loc. utrumq; p. 281. B. I. 697. a. 2.
 it. ad *M. Plaut.* Epid. V, 2, 19. p. 531. b.

*Et sicubi aqua offerretur, haustâ manibus
 vota inter preces concipiebat, ut perseveraret
 auspicium, quod interventu aquae solvi aliàs
 credebatur.* (Confer de hoc *Fr. Taubm.* ad *P. Virgil.* *Æn.* lib.
 II, 699. pag. 481. *Serv.* ad lib. IX, v. 4. fol. m. 554. c. *Jac. Pont.* ad l. c.
 col. 1830. c.)

Claudit his ipsis verbis Auguriorum captandorum ratio-
 nem *Jac. Masenius* in *Palæst. Styl.* lib. IV, c. 28. §. 7. p. 100. m. Iis &
 nos, quantum ad præsentem scopum, hanc claudimus exerci-
 tionem: rimati si non quoad fieri debuit, quoad potuit ta-
 men, augurale sacerdotium: mirantes, non verò ad-
 mirantes horrendam superstitionem.

✻(***)*✻

PARALIPOMENA.

I.

*Qui ex avium volatu, incertus quum sit ipse,
 certi quid de exitu negotiorum haberi
 potuerit?*

§. I.

Avibus auguralibus divini quid inesse vulgus ethnicorum
 credidit, ac eâ de causâ deorum de actionibus hominum
 scire voluntatem, quòd iis proximiores sint quàm nos morta-
 les. Patet hoc ex loco *P. Ovidii Fastor.* l. I, v. 441.

*Intacta fueratis aves, solatia ruris,
 Assuetum silvis, innocuumq; genus,
 Quae facitis nidos, & plumis ova fovetis,
 Et facili dulces editis ore sonos.*

Sed

*Sed nil ista juvant, quia lingua crimen habetis,
 Diis putant mentes vos aperire suas:
 Nec tamen hoc falsum: nam diis ut proxima quaeque
 Nunc pennâ veras, nunc datis ore notas.
 Tuta diu volucrum proles, tum denique caesa est,
 Juveruntque deos indicis extra sui.*

Consule de hoc negotio Ger. Joan. Voss. Theolog. Gentil. lib. III, cap. 98. pag. 1261. pr. Tb. Dempster. ad J. Rosin. lib. III, c. 8. p. 277. b. f. J. L. de la Cerda ad P. Virgil. Æn. I. X, v. 177. f. 453. D. E. 1.

§. II. Prudentiores tamen, & quævis

De meliore luto finxit præcordia Titan,
 opinionem illam nullo modo stare posse videntes, ope divinâ volatûs avium dirigi ac imperari auspicia præbenda censuerunt. Elegans Ammiani Marcellini lib. XXI, quem adscripsisse non pigebit: *auspicia & auguria non volucrum arbitrio, futura nescientium, colliguntur; (neque enim hoc vel insipiens quisquam diceret;)* sed volatus avium dirigit Deas, rostrum sonans, ut prætervolans pinna turbido meatu vel leni futura præmonstret: amat enim benignitas Numinis, seu quòd merentur homines, seu quòd tangitur eorum affectione, his quoque artibus prodere quæ impenderent. Habetur ap. Tb. Dempster. & Gerard. Joan. Voss. l. c. quorum hic exemplis quibusdam illustrat. Eò tendunt & M. Tullii verba hæc: *Eadem efficit in avibus divina mens: ut tum huc tum illuc volent alites, tum in hac tum in illa parte se occultent: tum à dextra, tum à sinistra parte canant oscines. nam si omne animal ut vult, ita utitur motu sui corporis, prono, obliquo, supino, membraque quò vult flectit, contorquet, porrigit, contrahit, eaque efficit penè quàm cogitat: quanto id deo est facilius, cujus numini parent omnia?* de divinat. l. I, §. 120. Vide ulterius J. H. Bœcler. Dissertat. Acad. IV, cap. I. p. 180. Lud. Cal. Rbodig. Lect. Antiq. l. VII, c. 29. fol. m. 270. f. Augustin. Niph. de Augur. lib. I, cap. 6. Fovisse hanc opinionem Theophrastum & Themistium Valerium & Pythagoræos laudatus modò refert Niph. cap. XVII. Mercurius Trismegistus Demonem appellavit: Porphyrius modò Cacodemonem, si bona; Cacodemonem si mala portenderentur, consentiente Plotino Jamblicioque vocavit, velut idem narrat cap. XIIX.

§. III. A Luna moveri aves *M. Varro* prodidit. *Astronomi* verò quidem *Aegyptii* stellam errantem, seu de quinque illis Planetis unam arripere sategerunt in causam auguriorum, quem ad modum ap. *Niph.* habetur cap. XIX. XX.

§. IV. Ratione situs nostri accipienda vult *Plutarchus*, ut quæ nobis dextra sint, adversa, quæ verò sinistra, prospera: in quæst. Roman. s. probl. Tom. II. f. 282. D. E. de qua re in parali-
pom IV. *Niph.* l. I, c. 12. *Astronomi* ex sitibus cœli judicare malunt, ut quæ in ortum vergant, bona sint: quæ verò in occasum, secus cadant. *Niph.* c. 13. p. 31. 32.

§. V. C. tamen *Plinius* meliorem fovet sententiam: quòd scilicet in se nec bonum portendant neque mala; verum ostentorum vires, & in nostra potestate esse, ac prout quæque accepta sunt, ita valere: in augurum quippe disciplinam certò constetisse dicit, neque diras, neque ulla auspicia pertinere ad eos, qui quæque rem ingredientes, observare ea negaverint, quo munere divinæ indulgentiæ majus nullum esse putaverint. *Hist. Natur.* lib. XXVIII. cap. 2. lit. O. Vid. *Niph.* cap. V, VI, XI.

§. VI. Jam verò ex ipsius *M. Varronis* sententiâ ociosi ac feriati forent dii, si cornicula consilia crederent: ex *M. Seneca* mente autem nimis pusilla rei ministri essent, si avium pennas dirigerent: nec *Stoicis* placuisse singulis avium cantibus interesse Deum; neque enim decorum, nec diis dignum esse narrat *M. Cicero* de divinatio. lib. I, §. 118. Stare ergò recensitæ ambæ primæ nequeunt opinioniones. Reliquarum unaquæque suam equeidem mereretur confutationem, nisi eo nos sublevavisset labore *Niphus Augustinus* in II. de auguriis libro: ubi non judicium modo de singulis fert, verum etiam certis contra illas insurgit rationibus, lecta quæ haud indigna adducit: exscribere eum minimè fedet.

§. VII. Animadvertens causam auguriorum non dari posse *Q. Cicero*, ad experientiam se recipit, ac, quum à multis retrò sæculis sit observatum, fidem eis derogari dissvadet, causasque curiosè inquiri non vult. *Quarum quidem rerum* (inquit, somniorum, vaticiniorum, sortium &c.) eventa magis arbitror, quàm causas quæri oportere. Est enim vis & natura quædam, quæ tum observatis longo tempore significationibus, tum aliquo instinctu infla-
rurg.

tuq; divino futura prænunciat: quare omittat urgere Carneades, quod faciebat etiam Panætius, requirens, Jupiterne cornicem à læva, corvum à dextra canere jussisset? Observata sunt hæc tempore immenso, & significatione eventus animadversa & notata: Nihil est autem, quod non longinquitas temporum excipiente memoriâ prodendisq; monumentis efficere atq; asserere possit? Hæc ejus est de divinât. lib. I, §. 12. sententia, quam & §. 29. ita defendit, quod tametsi causas non afferant, cur res sint eventuræ, enuntient tamen eventuras nisi provideris. Confer ejusdem libri §. 4. 85. 86. 109. it. August. Niph. de Augur. l. I, c. 9, p. 12. f.

§. IIX. Quod si tamen cuilibet crederemus eventui absque peculiaris causæ demonstratione, prohi Dei hominumq; fidem, quantum oberraremus seductionis tenebris! quantum seduceremur mali spiritûs præstigiis! Rectè quin ergò M. Tullium fecisse putemus? qui nec Germano fidem in hac re adhibuit, philosophi non esse perhibens, causam, cur quid fieret, non querere. quem ulterius ibidem evolvere non pœnitebit, l. II, §. 46. 47.

§. IX. Veritati propior Apuli Madaurensis Platonius, qui demonem aliquem præpetum gubernandorum, aut oscinum erudiendorum, vel fulminum jaculandorum provinciam gerere statuit, in libr. de deo Socratis pag. 45. edit. Francofurt. Quod ubi sensu Christiano acceperimus, & omnis malitiæ autorem pro auguriorum inventore, auctore, ac directore agnoscerimus (uti capite II, §. I. innuimus:) anxii in ejusmodi causæ inquisitione operosè ulterius non simus: pro certo habentes, simiam illam rerum divinatarum, ut in plerisq; rebus (consule Fr. Taubman. ad P. Virgil. Ceir. in præfat.) ita, quod prædictiones concernit, suas gentibus instillavisse seductiones. Lege Rodolph. Goelen. Astrolog. General. lib. I, cap. I, pagin. I, f. 2. pr.

E 3

II. Quan-

II.

*Quantoperè damnanda augurii
disciplina?*

Quùm pessimum aded agnoscant auguria autorem ac patronum meritò à quovis cordato ac Christianæ mentis homine rejiciuntur. Imò nec soli hoc faciunt; verùm inter ipsos Ethnicæ religioni addictos plurimos habemus, de quorum contemptu auguriorum abundè constat. De *Hectore* Iliad. XII. De *C. J. Cesare*, in ejus vitâ, *C. Sveton. Tranqvill.* cap. LIX. ibiq; in notis *J. Schild.* pag. 69. De *Appio Pulchro* autor laudatus in *Tiber.* cap. 2. ubi lege *J. Schild.* pag. 28. 29. *M. Cic.* de Nat. Deor. lib. I, §. 7. præprimis *M. Tullius* toto de divinatione secundo libro, ubi omnia diluit, quæ in primo *Quintus Frater* attulerat. Conferri possunt sequentes: *P. Virgil. Æn.* libr. IV, v. 328. ibiq; *Christ. Landin.* fol. 282. 2. m. *L. An. Seneca* *Quæst. Natural.* libr. II, qu. 32, fol. 788. m. *M. An. Senec. Svasor.* III, fol. 31. m. & ibid. ex *Cicerone Andr. Schottus* fol. 32. b. m.

Ex Christianæ religionis affeclis verò *Flav. Joseph.* lib. I. de *Antiq. Judæ.* contra *Appion.* pag. m. 833. à lin. 13. *S. Aurel. Augustin.* lib. I. contr. *Academ.* cap. 7. Tom. I. & de *doctr. Christi.* lib. II, c. 23. it. sermone CCXL. Tom. X. fol. 1123. *Job. Ludov. Viv.* ad eundem de *Civitate Dei* lib. II, cap. 25, lit. D. pag. 255. m. ad libr. III, cap. 21. lit. k. p. 343. ad libr. IV, cap. 30. lit. a. p. 474. *Michael Piccartus* in *Pericul. Critic.* cap. VI, pag. 25. *Des. Erasmi Roterod.* *Chili.* adag. *meliores nancisci aves.* fol. 597. *Reinhar. Lotich.* ad *Aphthonii* *Sophist.* pag. 74. *Augustin. Niph.* de *Augur.* lib. I, præfat. lib. II, præfat. & capp. aliquot. *Geverb. Elmenhorst.* ad *Min. Felic. Octav.* fol. 18. *Polydor. Virgil.* de *Inventor. Rer.* lib. I, cap. 24. pag. 48 m. f. *L. Cæl. Rhodigin.* *Antiqvar. Læctio.* lib. II, cap. 12, fol. m. 48. f. *Philipp. Camerarius* in *operis horar. succisiv.* *Centur.* III, cap. 6, pag. 20. m. *Petrus Marsus* ad *P. Terent.* *Phorm.* act. IV, sc. 4, vers. 1. citante *C. Schrevelio.* *Gerard. Joan. Vossius* (ex *SS. Scripturâ,* *Cyrillo Catech.* I. pag. 513. edit. *Morell.* anno 1608. *Gaudentio* in *Exod. tract.* IV. *Petro Chrysologo* *Sermon.* XIIIX. & *Zenone Veronensi* sermone de *Jo-*
na

na pag. 1261, m.) in Theolog. Gentili lib. III, cap. 98. *Job. Lud. de la Cerda* (adducens *Plutarchum* de defect. oraculor. it. de Placit. Philosophor. lib. V, cap. 1. *Xenophanem*, *Epicurum*, *Platonem* in *Timæo*, *Clementem* in *περὶ ἑρμῆος*. *Lactantium*, *Eusebium* contra *Hieroclem*. *Nazianzen.* contr. *Julian.*) ad *P. Virgil. Æn.* I, vers. 397, Tom. III, fol. 78. a. 1. b. 1. *Job. Henric. Bæcler.* in *Commentar. ad Cornel. Nepot.* pag. 22, 23. editore *J. A. Bosio.* it. in *Disertation. Academ.* IV, cap. 1, pag. 180. m. f. *Caspar Barthius* *Adversarior. Commentar.* lib. LIII, cap. 12. col. 2501. 2502.

III.

Quamdiu Augurum Romæ floruerit Collegium?

TAm inde ab Urbe Conditâ floruisse in eâ augurum collegium, & tandem ex quindecim constituisse viris, capite audivimus II. & III. Mansit ille dein collegio numerus ad *Theodosii Senioris* Imperatoris Augusti usque tempora: qui religione Christi salvificâ omnia jamdum occupante, veteresque demonum cultu sensim abrogato, τῆς ἱερῆς ἀγιστείας ἐνεποίησε πᾶσιν ὀλιγορίαν, τὴν δημοσίαν δὲ πᾶντὸ τοῖς ἱεροῖς χορηγεῖν δὲνησάμενος ἀπὸ λαύου το μὲν ἱερεῖς καὶ ἱέρια κατελιμπάνετο δὲ πάσης ἱερεργίας τὰ τέμνη. i. e. ex versione *Joh. Leunclavii*; contemptum sacri cultus in animis omnium excitavit, publicum sumptum ad sacrificia se suppeditaturum inficiatus: expellebantur utriusque sexus sacerdotes, & fana sacrificiis omnibus destituta jacebant, uti loquitur *Zosimus Histor.* V. Tom. III. *Scriptorum Græcor. Roman. Histor.* fol. 814. edit. *Sylburg.* Adstipulatur *Suidas* de vitis *Cæsarum*, in *Imperatore* LIX. fol. 882. Tomi jamjam adducti. Adde *Onuphr. Panvin.* in *descript. Romæ* lib. II, fol. 162. pr.

IV.

Quodnam, & quamobrem augurium vocaverint dextrum aut sinistrum?

Singulare hoc Romanis fuisse auguribus, ex collatione scriptorum novimus, ut quæ fausta essent auspicia, sinistra nomina-

mina-

minarent: dextra verò quæ secus caderent: aliter ac aliæ fecere Gentes, uti ipse docet *M. Cicero*, quando nimirum apud *Ennium* dicitur,

Cum tonuit lævum benè tempestate ferenâ,

contrarium in *Homero* legitur: ubi

Prospera Juppiter bis dextris fulgoribus edit.

de divinat. lit. II, § 82. Hanc autem opinionis suæ Romani reddebant rationem: de rebus humanis loquentibus sinistram pro minùs auspiciato accipi: exempla ubivis in promptu: ap. *Q. Horat. Sat. lib. II, 7. vers. 87. P. Virgil. Ecl. I, 15. Des. Erasmi. Chili. fol. 751. a. m. M. Cic. l. c.* Dextrum verò boni esse ominis: ut *Dextro Hercule, dextro tempore*, & id genus alia. *Q. Horat. Sat. lib. II, 1. vers. 18. Erasmi. Chili. fol. 215.* Sin verò de iis, quæ divinâ quasi ope fieri decebat, sermo sereretur, inverso ordine faustum eam propter causam nominabant, quod respicientibus nos superis dextra sint, quæ nobis sinistra, & quæ nos pro dextris habeamus, ad lævam illi habeant. Frequens ejus significatûs apud optimos Scriptores mentio. *P. Virgil. Ecl. IX, vers. 15.*

Ante sinistra cavâ monuisset ab ilice cornix.

confer. *Æn. III, vers. 693. & lib. IX, 631. M. Plaut. Asinar. act. II, sc. 1, vers. 12.*

Picus & cornix est ab lævâ, corvus porro à dextrâ,

Consuadent!

(Corvum scilicet à dextra parte boni esse putabatur ominis, secus ac aliæ volucres. v. *Anton. Mancinell. ad P. Virgil. Ecl. I, vers. 15. fol. 2. i. m. edit. Venet. 1493. Adr. Turneb. Adversar. lib. VI, cap. 26. f. ult. fol. 202. Fr. Taubm. ad M. Plaut. Adular. act. IV, sc. 3, vers. 1, pag. 217, B. 1. ad Epid. act. II, sc. II, vers. 2, p. 492. B.) V. Pompej. Fest. voce Sinistrum pag. m. 145. lin. 1. Dionys. Gothofr. ad M. Cic. de divinat. lib. II, §. 43. August. Nipb. de Augur. lib. I, cap. 12, pag. 30. L. Cæli Rhodig. Antiqu. Lect. lib. I, cap. 10, fol. 171. m. G. J. Voss. Theolog. Gentil. lib. III, cap. 98, pag. 1260. f. Phil. Parei Lexic. Critic. pagin. 133. 2. f. Christoph. Landin. ad P. Virgil. Æn. libr. II, vers. 691. & 693. fol. 162. i. m. Servium*

ibid.

V. Apud

V.

Apud quasnam alias gentes floruisse constet auguralem disciplinam?

DE iis, apud quas ante jacta Romæ fundamenta ars illa flourerit divinatoria, ut nihil afferamus heic loci, quum sat multas nominatim in capite protulerimus secundo, alias jam quibus ea in usu fuerit observatio, videamus: nam certò constat, & Romanæ Majestatis tempore, & collapsâ eâ ad hodiernum usque tempus avium præprimis præfagia plurimis studiosè investigata.

Apud *Macedonas* optimum invenimus augurem ac vatem, *Aristandrum*, de quo *Q. Curtius* lib. IV, cap. 10, §. 26. lib. V. cap. 4, §. 2. lib. VII, cap. 7. §. 8.

De *Lacedæmoniis* *Q.* refert *Cicero*, regibus suis augurem assessorem dedisse & Senibus; uti *Consilium publicum* vocabant, auguremque interesse volebant. de divin. lib. I. §. 95. adde *L. Cal. Rhodig. Lect. Antiqu.* lib. XIIIX, cap. 25. fol. 708. f.

Athenienses quoque itidem ut *Lacedæmonas* omnibus semper publicis consiliis divinos quosdam sacerdotes, quos *mantes* vocaverint, adhibuisse, ab eodem *M. Cicerone* edocemur, & *Rhodigino Calio* l. c.

Gallorum Druidas, *Persarumque Magos* ibidem habemus §. 95. V. *Leonb. Coque ad S. Aurel. Augustin.* de Civit. Dei lib. VII, cap. 35. lit. V. pag. 706. Modernos verò *Persie* incolas ex augurio quodam defunctorum statûs, dum dexter vel sinister eruitur ab avibus oculus, cognosci persuasos esse, dum demortua corpora avibus muro applicata exponunt, testatur *Ad. Olearius* in *Itiner. Persic.* lib. V, cap. 6. fol. 562, 563.

De *Germanis* ne multa dicamus, evolvatur *C. C. Tacitus*, in eo quem de illis scripsit libello cap. X. & in id *Commentar. Ampliss. DN. Presidis* pag. 171. 172. & cap. XXXIX, §. 2. *Salvian. de Governat. Dei* lib. pag. 197. edit. *Rittershus. C. Barthius Adversar. Commentarior.* lib. LIII. cap. 7. col. 2736. f.

F

Bri.

Britannicum ducissæ Bunduicæ augurium qui legere satagit, adeat Epitomatores Xiphiloni Dionem fol. 814. Tom. III. Script. Roman. Histor. Græc. supra citat.

Sinenses verò ex ave, quæ Phœnix nonnullis dicitur, adventante fausta pro Rege suo præfagire omina, narratur ab Erasmo Francisci in Ost. West-Indischen. Sinesischen Lust, und Stats-Garten Tom. III, fol. 1604. a. f. b.

VI.

Quò augurum numerum multiplicare licuerit modo?

TRibus primis, quâ ratione quartus adiectus, ignorare se factentem supra induximus *T. Livium*. Locum autem accuratius intuentes, invenimus licitam augendi sacerdotium augurale rationem eam fuisse, ut pari inter se numero multiplicarentur; cujus rei gratiâ quatuor illis quinque adiectos cap. III. superiùs probavimus: singulis itaque tribus tres præfiebantur tum temporis, & si in treis illas divisa regiones, *Ramnesium, Tatiensium atque Lucerum* permanit Roma eò temporis puncto, quo ad quindenarium à *L. Sulla* evehebantur numerum, quinque uni præfuisse credendum foret. Eandem sanè invenies cum nostra *T. Livii* sententiam lib. X. cap. 6.

VII.

Quinam augurali peritiâ inclaruerint?

Accius Navius, de quo cap. V. §. 12.

Agricola, uti in ejus vitâ *Tacitus* cap. 46. §. 6.

Alithersis, apud *Aug. Niph.* de Augur. lib. I, cap. 10.

Amphiaraus. *M. Cic.* de divin. lib. I, §. 88. de Leg. lib. II, §. 33.

Taubm. ad *P. Virg. Æn.* I, vers 100. *Aug. Niph.* lib. I. præf.

Amphiction. Idem pag 23.

Amphilochus. cap. V. superiùs §. 6.

Anti-

- Antipater.* Niph. Præfat. lib. I.
Antiphon. id. cap. 9. pag. 22.
Apollo. vide cap. V. §. 13. *P. Ovid.* Metamorph. lib. II. fab. 9.
Apollonium Thyaneum addi volunt, cui hirundo aut passerculus
 casum asini prope urbem nunciârit. legatur *C. Rhodig.*
Antiq. Lect. lib. XVII, cap. 13. fol. 642. f. 643. pr. & lib. IX,
 cap. 22. fol. 346. ex Hieron. ad Paulin.
Aristander. v. paralip. V. it. *Q. Curt.* lib. IV, cap. 2, §. 14.
 & lib. VI, §. 11. 12.

Calchas. *Homer.* Jli. II. *M. Cic.* de divin. I, §. 87. *J. L. de la Cerda* ad
P. Virg. Æn III, 176. Niph. lib. I, cap. 9.
Calenus. *C. Plin* Hist. Nat. lib. XXIX, cap. 2. Niph. 16. cap. 5.
Caras. id. cap. X.
Chrysippus. apud eund. Præfat. lib. I.
M. T. Cicero. vid. cap. V, §. 6.
Claudius. ap. *Cic.* de divin. lib. I, §. 105.

Dejotarus. ap. *M. Cicer.* passim.
Drusus. *C. C. Tacit.* Annal. lib. IV, cap. 36, §. 1.
Democritus. Niph. Præfat. lib. I. de Augur.
Diogenes Babylonius. ibid.
Divitiacus. *M. Cic.* de divin. I, §. 90.

Fabius. *C. Plin.* Hist. Nat. lib. VII, cap. 48.

Germanicus. vid. cap. V, §. 6.
Gracchus. ibid. it. ap. *Ciceron.* de divin. I, §. 23. Niph. præf. lib. I.

Helenus. *P. Virgil.* Æn. III, 324. *M. Cj.* de divin. I, §. 89. de
 Leg. lib. II, §. 33.
Hercules. Niph. cap. X, lib. I.
Horatius, ut ipse testatur lib. III, od. 27. vers. 8.
Hylas. Niph. lib. I, cap. 10.

Julius. *C. Tacit.* Histor. lib. IV, cap. 69, §. 1.

Lentulus. id. Annal. lib. III, cap. 59, §. 1.
Leucadius. Niph. Præfat. lib. I.

Mar-


- Marius. M. Cicer. de divin. lib. I, 106.*
Marsus. ibid. §. 132.
Melampus. Dempster. ad J. Rosin. lib. III, cap. 8. pag. 276. a.
M. Cic. de leg. lib. II, §. 33.
Mopsus. cap. V, §. 6. M. Cic. ibid.
Numa Pompilius. nullâ indiget probatione.
Pharnaces. Aul. Hirt. Pansa de bell. Alex. pag. 396.
Phimon. Niph. cap. X, lib. I.
Polybus. M. Cic. de divin. I, §. 89.
Polydamas. Homer. Iliad. XII, Niph. l. c.
Posidonius. Cicer. de divin. Niph. præf. lib. I.
Pythagoras. Cic. de divin. I, §. 5.

Rhamnes. cap. V, §. 6.
Romulus & Remus. Nota res.

Scevola Niph. lib. II, cap. I.
Tages, ut idem vult præfat. lib. I.
Tanaquil. apud T. Liv. lib. I. ab V. C. Aliam portenti cujusdam
interpretationem ex C. Plinio (Histor. Natur. lib. XXXVI.
cap. 27. in fine) lege ap. Georg. Vallam in Commentar. su-
per D. J. Juvenal. Satyr. VI. vers. 567. fol. 59. a. i. f. edit.
Venet. 1491. excus.
Tiresias. M. Cic. de divin. I, 88. Niph. l. 1.
Tisameas } ibid.
Tyburnus. }
Vectius vel Vettius. L. Cel. Rhodig. L. A. lib. XXVII, cap. 8. fol.
m. 1031. in Censorin. de die Natal. cap. XVII. ibique Fr.
Lindenbruch. Niph. præfat. lib. I.
Umbritius. ap. Niph. pag. 2.

8. Errata quædam.

CAP. II. §. 1. lege Phryges. §. 2. lege sacratus. CAP. IV, §. 1. lege
 Fetialibus. §. 7. Romanorum. CAP. V, §. 5. Reipublicæ. it. gere-
 bant. CAP. VI, §. 3. lege fab. 14, vers. 83. §. 7. optemperanto.
 CAP. VII, §. 1. spiris. Paralip. I, §. 2. lege Elegans locus: ibid.
 antè pariè. it. Calodæmonem. §. 9. Apulejus.



B.I.G.

Farbkarte #13

II c
1424

Q. B. F. F. Q. S!
PHILOLOGEMA

X 1860602

De
AUGURIBUS
ROMANORUM,

PRÆSIDE
VIRO

EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO, CLARISSIMO

DN. GEORGIO CASPARE
KIRCHMAJERO,

ELOQV. IN FLORENTISSIMA WITTEB. ACAD.
P. P. CELEBRATISS.

DN. PATRONO, HOSPITE AC EVERGETA
SUMME SUSPICIENDO,

AD D. FEBR. ANNO M. DC. LXIX.
IN AUDITORIO MAJORI

VENTILABIT

SALOMON STEPNERUS,
EIBENST. MISNIC.



WITTEBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

